
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
7 C
12


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
7 N C
12





IO. ALOYSII,

ET

ANNIBALIS MARESCOTTÓRVM

FRATRVM,

ARTIS RHETORICAE

COMMENTARIVS.



BONONIAE,

Apud Ioannem Roßium.

MDLXX.

Curiæ Episc. & S. Inquisit. concessu.

cium facturi paululum ætate progressi, potueritne in politioris litteraturæ studijs, quibus per id temporis operam dabamus, quidquam ab ingeniolis nostris proficisci, quod vel non omnino ineptum, aut incomptum videri potuisset: Sed, cum id non semel tantum, ac iterum, verùm sæpius etiam frustra à nobis tentatum esset, in animos induximus nostros, doctissimorum hominum subire iudicium, vt eorum amantissimis, fidissimisq; monitis, & præceptis edocti, atque adiuti, quæ vera, quæ falsa, quæ recta, quæ praua essent, tanquam in lydio lapide probum aurum ab improbo cognosceremus. Quamobrem, nulla interposita mora, scriptiunculas hasce nostras ijs expendendas, atque examinandas, timide tamen, vel potius verecundè detulimus, expectantes interea, quid eruditi ipsi, minimèq; fallentes ea in re iudicij interponerēt: laudarunt tandē vno ore pueriles nostros conatus, atque etiam (quod mirum visum est nobis) humanissimè suaserunt, nosq; hortati sunt, vt quamprimum


mum in publicum emitteremus, ea (arbitramur) ratione, vt eo ſpecimine, & qualicunque laudis ſignificatione nos impulſi, fidenter (vt cœpimus) pergeremus, & cæteri id ætatis adoleſcentuli dulci, ac iucunda gloriolæ æmulatione ad virtutem, ad bonarum diſciplinarum ſtudia incenderentur. Horum grauiſſimorum hominum voluntati cum multis de cauſis nobis eſſet obtemperandum, continuò commentariolum ipſum ad te (Cæſi Illuſtriſs. Familiæq; noſtræ amplificator, & fautor inſignis) mittendum ſtatuimus, tum vt patrocinio tuo, & auctoritate, quam tu maximam meritiſsimò partam habes, defendatur, tum etiam vt teſtimonium aliquod publicum faceremus multorum beneficiorum, quibus toties prouocaſti, aſsiduèq; nos prouocas, parentemq; noſtrum in primis, de quo ſic habeto, cũ multos, vbiq; habeas amicos, & clientes auctoritate, gratia, opibus multò, quã ipſe ſit, ſuperiores, nemini tamen eum conceſſurum homini, qui aut ardentius te diligat, aut maiore

iore

iore cultu, veneratione, obseruantia te prosequatur. Etsi autem nos non lateat, libellum hunc nostrum amplitudine tua parum dignum esse, animos tamen nobis addidit singularis illa, quam tibi insitam esse scimus, humanitas, vt nunc eum tibi offerre nihil vereamur, & quicquid id est, quod ex animis nostris gratissimis, beneuolisq; proficiscitur, tibi non ingratum fore confidimus. Excipias igitur serena fronte, hilariq; animo (optime, & virtutum omnium genere ornatissime Praesul) hos primos ingeniorum nostrorum conatus, et nos fratres tuorum addictissimorum clientum numero iampridem acceptos tuere. Quod si (vt speramus) feceris, nos tibi in perpetuum deuinxeris, & ad maiora studia tendentes animos nostros alacriores reddes. Quod superest, Deum precamur, vt te nobis diu, & incolumem seruet. Vale.

Bononiae Kalen. Decembris anno à Christo nato M D L X I X.

IN PETRVM DONATVM CAESIVM NARNIENSIVM EPISCOPVM HEXASTICHON.





SORTIRI claros prisco splendore parentes
Prudentes censent munera magna uiri:
Ast maiora putant patrium cumulare decorem
Virtute: ac magnis hoc datur usque uiris.
Te, PETRE, diuinum hoc munus qui nactus utrunque es,
Magnum, & præstantem quis neget esse uirum?

AD IOANNEM ALOYSIVM, ET ANNIBALEM MARESCOTTOS FRATRES

ANTONIVS SVLFRINIVS CÆSENAS.



LABITVR instar aquæ tempus, volucrisq; sagittæ
Facta trahens hominum.
Marmora longa dies viuos imitantia vultus,
Aeraq; dura terit.
Temporibus cedunt ferientes sidera turres,
Pyramidesq; ruunt.
Aurea tecta, vrbes, arcus, grandesq; colossi, &
Amphitheatra cadunt.
Cecropis vrbs quònam cessit? quò clara Corinthus,
Innumeræq; aliæ?
Corpora strata iacent harum, & vestigia nulla
Cernere pressa licet.
Sola, Marescotti, virtutis gloria nunquam
Interitura manet.
Vim virtus æui, nigræq; obliuia Lethes
Effugit, & tenebras.
Quare agite, ò claro iuuenes à sanguine creti,
Felsineumq; decus,
Augete ò, vestri propria virtute nitorem,
Atque decus generis.
Sic longam seriem annorum, sic tempora factis
Vincite nobilibus.




IO. ALOYSII, ET ANNIBALIS [illegible]RESCOTORVM FRATRVM [illegible]ETORICAM





OBIS de Rhetorica agentibus prius ab eius definitione auſpicari libet, quod in omnibus diſputationibus fieri oportere præcipiunt prudentes, ne vagari poſtea, & errare cogatur oratio.



Rhetorica igitur eſt ars rectè, aptè, ornatè, ac ſapienter dicendi.

Rectè, habita ratione ſyntaxeos, & phraſeos, hoc eſt, conſtructionis, & coniunctionis nominum, & verborum: non enim dicere licet, ſeruio Cæſarem, & amo Pompeio: ſed ſeruio Cæſari, & Pompeiũ amo: nec eſt dicendũ, gero Prætorem, ſed Præturam, nec ago Præturã, ſed Prætorem: Aptè, habita ratione rerum: vt enim variant

res,ita variet oratio,neceſſe eſt:ſunt enim tres orationis formæ, humilis, mediocris, & ſublimis, humilis, qualis eſt ſermo familiaris, & quotidianus, quo vtitur Cic. in Epiſtolis, quas familiares appellant, Epiſtolas inquit ipſe quotidianis verbis texere ſolemus. Mediocris oratio eſt, quam Cic. in libris, quos de Philoſophia ſcribit, adhibet.Sublimis,quam idem ſumm[illegible]or in ſuis orationibus vſurpat: vtr[illegible] eleganter expreſsit in procemio offi[illegible]orum. Itaq;, cuiq; perfecto oratori (vt ſupra diximus) illud conſiderandum eſt, vt variant res, de quibus agit, ita variandam eſſe orationem.

Ornatè, habita ratione figurarum, & troporum: Duplex eſt enim ſermo latinus, naturalis,& figuratus: Naturalis ſermo eſt, cum oculum pro membro, quo videmus, vſurpamus: Figurata verò ea dicitur oratio, cum lucem pro vita, lumen, & florem pro eo, quod eſt in vnaquaque re præcipuum, adhibemus, vt lumen Greciæ, Corinthus: iuuentus eſt flos ætatis, & manum pro poteſtate, caput pro principio.

Figuratur autem ſermo Latinus pluribus modis, & primo locis Topicis.

A' Definitione, vnde ortum habuit periphraſis, vt Virtus moderatrix voluptatum corporearum in

in pretio est apud Italos, hoc est Temperantia.
A' Genere, Vnde Antonomasia profluxit, vt Poetam pro Virgilio, Vrbem pro Roma, Prophetã pro Dauide, Apostolum pro Paulo vsurpemus.
A' specie, vt Cæsar iracundior est Adria, idest quodlibet mare iracundia superat.
A' Coniugatis, quæ quidem sunt hæc.
Cupio: vt pater tuus cupit audire verbum Dei.
Cupidus: vt pater tuus cupidus est audiendi verbum Dei.
Cupiditas: pater tuus cupiditate tenetur audiendi verbi Dei.
Cupidè: pater tuus cupidè audit verbum Dei.
Item: filius meus studet literis humanioribus.
Filius meus studiosè versatur in literis humanioribus.
Filius meus studiosus est literarum, quas humaniores appellant.
Filius meus in studio humanarum literarum versatur.
Filius meus totum tempus literis humanioribus studendo consumit.
Filium meum nemo non literis humanioribus studentem videt.
A' parte. Subiit Cæsar tectum meum, hoc est domũ meam venit: pedem intulit, hoc est seipsum.

Item Ciuitas te expectabat: te Senatus, te Equester ordo, te Plebs denique tota expectabat.
Item totus Piso madebat: corpus, humeri, caput, lacerti, crura, pedesq; Pisonis madebant.

A' Toto. Vnde synecdoche manauit: vt sermonem in multam noctem traduxisti, idest in magnam noctis partem.

A' Causa efficienti pro effectu. Virgilius semper præ manibus est habendus, idest opus Virgilianũ: Sol super terrã elucescit, hoc est dies adest.

A' causa Materiali pro effectu: Cæsar ferro Antonium interfecit, idest gladio.

Ab effectu pro causa efficiente: hinc mortem pallidam appellamus, quia pallorem efficit.

A' Contrariis. Vnde Aequipollentiæ, & Ironiæ oriuntur, vt non recuso munera tua, pro accipio. Ironia, vt ò scelestе vir magnum tibi dedecus comparabis: hic est sermo naturalis: figuratur autem hoc modo locus: bone vir magnam sanè laudem tibi comparabis.

A' signo pro re signata: parcendũ est galero, idest Cardinalibus: cædant arma togæ, hoc est cedant milites literatis: toga .n. erat insigne literatorũ.

A' Simili: Vnde ortum habuit Metaphora, vt gemma vitis, segetes fluctuant, manus pro potestate, caput pro principio.

Antecedentia pro consequentibus: Cæsar uirgineã soluit zonã Iuliæ, ideſt virginitatẽ Iuliæ ademit. Zona .n. erat cingulũ, quo noua nupta præcingebatur, quod vir in lecto soluebat, factũ ex lana ouis, ut sicut illa in glomũ sublata coniuncta interse sit, sic vir eius cũ ea cinctus, vinctusq; esset.

Consequentia pro Antecedentibus. Abiit ad manes Antonius, ideſt mortuus eſt. si me hoc beneficio affeceris, magnam inde lætitiam percipies, ideſt reddetur tibi à me beneficium.

Instrumentum pro effectu, vt cum nos arma pro bellis, libros pro ſtudio vſurpamus.

Continens pro contento, ut cœlo gratiſsima Virtus, hoc eſt cœlicolis.

Inuentorem pro re inuenta, ut ſine Cerere, & Bacco friget Venus, ideſt ſublato cibo, & potu libido perimitur.

Numerus pro Numero, ut Romanus prœlio uictor, ideſt Romani.

Ab adiunctis, ut Franciſcus uiuit, ſpiritum ducit, hoc cœlo fruitur.

Vidimus quo pacto ſermo Latinus locis Topicis adhibitis figuretur.

Nunc uerò, ut materiam hanc abſoluamus, de Tropis & Figuris, quæ quidem & ipſe ſermonem latinum ornant, agamus.

DE TROPIS, ET FIGVRIS.

1 PRIMA mutatio fit per Coniugata, ut ſupra in loco à Coniugatis uidimus.

2 Secunda mutatio eſt, cum Nominatiuus reducitur in cæteros caſus.

vt Brutus Rempub. liberauit.
- Bruti opera libertas fuit in Rep.
- Bruto Reip. libertas eſt tribuẽda.
- Brutum Romani habent auctorem libertatis.
- A' Bruto profecta eſt libertas Romana.

3 Tertia mutatio eſt omnium caſuum in nominatiuum, vt

Milo occidit Clodiũ gladio in via Appia.
- Clodius occubuit gladio Milonis in uia Appia.
- Gladius Milonis Clodium in via Appia transfixit.
- Via Appia cruentata eſt ſanguine Clodii, occidente Milone

Item quando redibis Mantua Bononiã ad nos?
- Quando Mantua te ad nos Boniam remittet?
- Quãdo Bononia te ad nos Mantua redeuntem excipiet?
- Quando nos te uiſuri ſumus Mantua Bononiã redeuntem?

4 Interrogationis ſpecies eſt, qua uniuerſalem affir matiuã cũ relatiuo,& negatione pronuntiamus;

vt { Omnis homo ſuam ipſius utilitatem amat.
Nemo eſt, qui ſuam ipſius utilitatem non amet.
Quis non amat ſuam ipſius utilitatem? }

vt { Vetuſtas delet omnem dolorem.
Nullus dolor eſt, quẽ non uetuſtas deleat.
Quæ uetuſtas non delet, ac tollit omnem dolorem? }

5 Item vniuerſalem negatiuam, cum relatiuo abſq; negatione pronuntiamus.

vt { Nemo diligit hominem vitioſum.
Nemo eſt, qui hominem vitioſum diligat.
Quis diligit hominem vitioſum? }

6 Admiratio figura eſt, qua admirantes aliquid efferimus.

vt { Hic homo prudens eſt.
O' quám prudens eſt hic homo. }

7 Dubitatio figura eſt, qua dubitantes aliquid dicimus.

vt { Hic vehementer amat pecuniam.
Neſcio, an quicquam huic homini ſit carius pecunia. }

8 Adiuratio figura eſt, qua adiurantes aliquid affirmamus.

vt

vt { Hic vehementer amat mulieres:
Disperеam, si quicquam est huic homini carius mulieribus.

9 Exclamatio figura est, qua exclamantes aliquid efferimus.

vt { Hic homo vehementer doctus est.
O' singularem huius hominis doctrinam.

10 Abominatio figura est, qua abominantes aliquid in lucem efferimus.

vt { Ego nunquam scelus istud patraui.
Dii meliora, quàm vnquam scelus istud patrauerim.
Absit, vt ego istud scelus vnq̃; patrauerim.

11 Occupatio figura est, qua, cum aliquid dissimulamus, tunc maximè affirmamus.

vt { Hæc mulier est venefica, rapax, & impudica.
Hæc mulier est venefica rapax, vt interim de eius impudicitia sileam.

12 Ironia est figura, qua per contrarium aliquid agitatione capitis pronuntiamus.

vt { Hæc res adeò erât nullius momenti, vt exiguo senatorum numero exigi posset.
Annibal (credo) erat ad portas, aut de Pyrrih pace agebatur, vt tàm frequens Senatus desideraretur.

Et hæc de figuris dicta sunto, nunc verò de Tropis nobis est agendum.

13 Mutatio infiniti in primum participium actiuorum præsentis temporis.

vt { Vidi Cæsarem venire.
Vidi Cæsarem venientem.

14 Mutatio infiniti in secundum participium actiuorum futuri temporis.

vt { Antonius negauit se venire.
Antonius negauit se venturum.

15 Mutatio infiniti in primum participium pasiiuum præteriti temporis.

vt { Curabo inueniri Pamphilum.
Curabo inuentum Pamphilum.

16 Mutatio infiniti in secundum participium pasiiuorum futuri temporis.

vt { Putaui mittere ad te litteras.
Putaui mittendas ad te litteras.

17 Mutatio superlatiui variis modis, vt

Cic. erat eloquentissimus omnium Romanorũ. { Cic. erat maxime eloquens Roman.
Romani cedebãt Cic. in eloquẽtia.
Nemo Romanorum erat Cic. eloquentior.
Nemo erat conferendus cum Cice. in eloquentia.
Supra cũctos eminebat Cic. in eloq.

Præter cæteros eloquens erat Cice.
Quis Cic. erat eloquentior?
Cic.ſuperabat omnes Rom.in eloq.
Cic. omnes Rom. anteibat in eloq.
Primum locum inter Romanos occupabat Cic. in eloquentia.
Nemini ſecũdus erat Cic. in eloqu.
Primas ſibi uendicabat partes Cice. in eloquentia.
Cic. eloquentia florens cunctis Romanis præſidebat.

18 Mutatio adiectiui in ſubſtantiuum.

vt { Mare tranquillum exhilarat nauigantes.
Maris tranquillitas exhilarat nauigantes.

vt { Venuſta facies te oblectat.
Venuſtas faciei te oblectat.

19 Mutatio ſubſtantiui in adiectiuum.

vt { Iuxta Homeri ſententiam hoc feci.
Iuxta Homericam ſententiam hoc feci.

vt { Liber Cic.ſẽper habẽdus ẽ præ manibus.
Liber Ciceronianus ſemper præ manibus eſt habendus.

20 Mutatio gerundiorum in nomina ſubſtantiua.

vt { Cupidus litigandi, cupidus litium.
Peritus pugnandi, peritus pugnæ.
Tempus cœnandi, tempus cœnæ.

Item Sū aptus. Reipublicæ administrandæ, Reipublicæ administrationi.

vt Do operam explanandis auctoribus, explanationi auctorum.

Cæsar uacat agris colendis, uacat culturæ agrorum.

Item Eo ad pugnandum, eo ad pugnam.

vt Quærebant te ad necandum, querebant te ad necem.

Veni ad auxiliandum tibi, uel ad auxiliū tuum, ueni in auxilium tuum.

Item Non desistam ab explanādis auctoribus. non desistam ab explanatione auctorū.

vt Cogitaui de necando Cæsare, de nece Cesaris.

De puero ornando cogitatur, de pueri ornamentis.

21 Mutatio aduerbii in nomen adiectiuum.

Plurimū est in foro, plurimus est in foro.

Raro est conuiua, rarus est conuiua.

vt Frequenter est in aula, frequēs est in aula.

Multum apud mulieres uersaris, multus es apud mulieres.

Asidue uersatur in litteris, asiduus est in litteris.

22 Mutatio numeri unitatis ī numerū multitudinis

vt
- Romanus prælio uictor, ideſt Romani.
- Omnem pecuniam abſumpſiſti, ideſt omnes pecunias.
- Ego ſemper amaui M. Brutum, nos ſemper amauimus Brutum.

23 Tropus uerborum relatiuorum.

vt
- Credere. —— Debere.
- Emere. —— Vendere.
- Dicere. —— Audire.
- Locare. —— Conducere.
- Docere. —— Diſcere.
- Gignere. —— Naſci.
- Afferre. —— Conſequi, & recipere.
- Nuntiare. —— Cognoſcere.

24 Tropus nominum relatiuorum.

vt
- Gener. —— Socer.
- Diſcipulus. —— Præceptor.
- Seruus. —— Dominus.
- Filius. —— Pater.
- Vxor. —— Maritus.
- Cliens. —— Patronus.

25 Mutatio uerbi, & coniunctionis in participium.

vt
- Verberabo te, & dimittam, uerberatum te dimittam.
- Lego & ſcribo, legens ſcribo.
- Percuſsi, & dimiſi: percuſſum dimiſi.

26 Mutatio

26 Mutatio participii absoluti in cum & dum, & in verbum, item in quamuis, & uerbum,

vt { Doctore ueniente, discipuli tacent.
Cum, uel dum adest præceptor, silent discipuli.

vt { Mortuo corpore, tamen anima viuit.
Quamuis mortuum sit corpus, tamen anima viuit.

27 Mutatio conclusionis,
Vel à persona nostra,

vt { Hic igitur non est vir bonus.
Hunc igitur nunquam virum bonum existimabo.
Hunc igitur virum bonum existimabo?

Item à persona auditorum:

vt { Videtis igitur hunc non esse virum bonũ.
Non est igitur, vt hunc uirum bonum existimetis.
Quis igitur uestrûm hunc virum bonum existimabit?

Item à sensu communi,

vt { Facile est igitur omnibus intelligere, Cæsarem non esse uirum bonum.
Quis igitur Cæsarem virum bonum existimabit?
Nemo est igitur, cui Cæsarem virum bonum liceat appellare.

28 Mutatio temporum.

Quinque tempora indicatiui mutantur in quinque tempora subiunctiui.

vt { Cupio scire quid agis, vel quid agas. Veni, cum Doctor cœnabat, vel cum Doctor cœnaret. Lætor quod venisti, vel quod veneris.

Item vt { Veni, cum Franciscus deambularat, uel deambulasset. Tu mihi gratissimum facies, vel feceris. Hunc tibi hominem deuinces, uel deuinxeris.

Item vt { Pace tua dixerim, pro dico. Vter doctior sit, non facile dixerim, pro dicerem. Scis, Antonium venisse, pro scire debes, vel scias.

29 Mutatio casus.

vt { Non sum id nescius, eius rei mihi in mentem venit. It clamor cœlo, idest in cœlum. Dolor iniuriæ, idest ob iniuriam.

Huc pertinent omnes casus figurati, qui in alios casus mutantur, de quibus supra vidimus.

30 Mutatio nominis, quæ fit, cum pro particulari commune nomen vsurpamus, & hæc Antonomasia dicitur.

vt { Poeta hoc dicit, ideſt Homerus. Philoſophus hoc teſtatur .i. Ariſtoteles. Eo ad Vrbem, ideſt Romam.

Item vt { Crudelis hoc fecit, ideſt Phalaris. Mollis hoc dixit, ideſt Sardanapalus. Hic Crœſus eſt, ideſt Diues.

31 Tropus alius eſt, quæ Periphraſis appellatur.

vt cum { Pro Philoſopho ſapientiæ ſtudioſum vſurpamus. Pro Rhetorica artem benedicendi. Pro tyrãno legũ, & libertatis oppreſſorẽ.

32 Alius tropus eſt, quæ Metonymia nuncupatur.

vt cum vſurpatur. { Inuentor pro re inuenta: ſine Cerere & Baccho friget Venus. Continens pro contento: cœlo gratiſsima virtus, ideſt cœlicolis. Efficiens pro effecto: pigrum frigus, pallida mors, Sol adeſt .i. dies eſt. Opus pro auctore: ſacrilegium deprehenſum eſt, ideſt ſacrilegus. Abſtractum pro concreto, vt facunda oratio delectat, ideſt facundus Orator. Virtus cõciliat ſibi amicos, ideſt homo, in quo virtus eluceat.

33 Alius Tropus Synechdoche appellatur cũ ex vno plures intelligũtur, i. ſingularis pro plur. & cõtra.

vt

vt { Romanus prælio victor.
Romani prælio victores.

Item cum ex parte totum intelligitur.

vt { Tectum meum subiisti.
Domum meam subiisti.

Item contra, cum totum pro parte vsurpamus.

vt { Ingens à vertice pontus.
Ingens pars ponti.

Item cum ex specie genus intelligitur.

vt { Sylla iracundior est Adria.
Sylla iracundior est mari.

Item cum ex materia forma intelligitur.

vt { Cæsar occidit Antonium ferro.
Cæsar occidit Antonium gladio.

Item vt { Neapolim petii pinu, vel abiete.
Neapolim petii naui.

Item cũ ex præcedẽtibus sequentia colliguntur.

vt { Aiax Oilei F. virgineã zonã soluit Cassãdræ
Aiax Oilei F. Cassãdræ virginitatẽ ademit.

Item cum ex signo res signata colligitur.

vt { Villarum culmina fumant.
Nox imminet.

Item vt { Arbores florescere incipiunt.
Ver adest.

Item cum quocunque modo aliud ex alio colligitur.

vt

vt { Vixerunt coniurati.
Mortui ſunt coniurati.

Item { Fuimus Troes.
vt Non ſumus amplius Troes.

Item cum inſtrumenta pro effectu vſurpamus.

vt { Arma cano.
Bella cano.

Item, cum conſequentia pro antecedentibus vſurpamus.

vt { Abiit ad manes Cæſar.
Mortuus eſt Cæſar.

34 Aequipollētia & ipſa tropus ē, cuius quidē regulā, vt fieri potuit, duob. uerſiculis expreſsimus.

Nomina nominibus contraria, voce negandi
Præpoſita, quantum nomina prima valent.

vt	Doctus eſt Cæſar. Non indoctus eſt Cæſar.	ex nomine.
vt	Accipio munera tua. Non recuſo munera tua.	ex verbo.
vt	Cum telo iuit Clodius. Non ſine telo iuit Clodius.	ex præpoſitione.
vt	Multùm te amo. Non parùm te amo.	ex aduerbio.

35 Mutatio genitiui in eum caſum, in quo præcedens ſubſtantiuum inuenitur, & hæc Endiadys appellatur.

vt { Virtute animi opus est.
Virtute, & animo opus est.

vt { Amore sciētiæ captus tolero hos labores.
Amore, & scientia captus hos perfero labores.

36 Mutatio causæ efficientis.

Prima mutatio est uerbū cū cōiunctione quod.

vt { Amo te, quod bonus es, idest,
Amo te probitate tua.

Item ablatiuus sine præpositione.

vt { Amo te probitate tua.
Amo te doctrina tua.

Item ablatiuus cum præpositione pro, vel præ,

vt { Omnes pro timore fugerunt.
Omnes præ timore fugam arripuerunt.

Item ablatiuus cum præpositione ex.

vt { Vlysses ex uulnere claudicabat.
Feci hoc ex consilio patris.

Itē accusatiuus cū præpositione ob, vel propter.

vt { Omnes ob metum fugerunt.
Omnes propter metum terga dederunt.

Item ablatiuus conuertitur in nominatiuum.

vt { Amo te probitate tua.
Probitas tua inducit, vel impellit me ad te amandum.

Item ablatiuus conuertitur in nominatiuum cum uerbis pario, & affero.

vt { Amo Cæſarem doctrina eius.
Doctrina Cæſaris parit ei, uel affert amorem meum. }

Item accuſatiuus mutatur in datiuum cum uerbo tribuo, & præponitur coniunctio ſi.

vt { Non do eleemoſynā propter paupertatē.
Si non do eleemoſynā, tribuendum eſt paupertati meæ. }

Item cum eſt oratio negatiua, ablatiuus mutatur in nominatiuum cum uerbis auoco, & retraho.

vt { Hic nō uenit in ſcholā metu præceptoris.
Metus præceptoris hunc auocat, uel retrahit à ſchola. }

Item ablatiuus mutatur in accuſatiuum cum præpoſitione per.

vt { Hodie non prodibimus calore.
Hodie non prodibimus propter calorē. }

vt { Non potui uenire ualetudine.
Per valetudinem non licuit mihi uenire. }

Item accuſatiuus cum ob, uel propter mutatur in ablatiuum cum præpoſitione de.

vt { Sum feſſus ob, uel propter uiam.
Sum feſſus de uia. }

Item ablatiuus conuertitur in nominatiuum cū uerbo poſtulo.

vt { Amo te probitate tua.
Probitas tua poſtulat, ut te amem. }

Item ablatiuus conuertitur in nominatiuum cū verbo facio

ut { Amo te uirtute tua.
Virtus tua facit, ut ego te amem.
Virtute tua fit, ut ego te amem. }

Item ablatiuus conuertitur in nominatiuum, & adiicitur uerbum in causa est.

vt { Doleo morte Cæsaris.
Mors Cæsaris in causa est, ut ego doleam. }

Item quinque aduerbia hæc causam efficientem exprimunt, inde, eò, unde, quare, quapropter.

Inde.

vt { Amo Cæsarem doctrina ipsius.
Cæsar doctus est, inde fit, vt eum amem. }

Item eò

vt { Colo Pompeium probitate ipsius.
Pompeius probus est, eò fit, vt eum colā. }

Item unde

vt { Tu bonus es, unde fit, ut ego te amore prosequar.
Diligo te probitate tua. }

Item quare,

vt { Laudo Antonium eius uirtute.
Antonius uirtute præditus est: quare eum laudo. }

Item quapropter.

vt

vt { Hic ſtudet, quapropter doctus fiet.
Hic propter ſtudium doctus euadet.

Item nominatiuus mutatur in accuſatiuum cum præpoſitione per, & uerbum actiuum mutatur in paſsiuum.

vt { Tu feciſti, ut ego uenirem in hanc urbē.
Per te factū eſt, ut hanc vrbem peterem.

Itē uerbū incido mutatur, & conuertitur in verbū cōtraho, & adiūgitur ablatiuo præpoſitio ex

vt { Homerus incidit ī cæcitatē nimio ſtudio
Homerus contraxit cæcitatem ex nimio ſtudio.

Item accuſatiuus cum præpoſitione ob conuertitur in nominatiuum cum uerbo teneo, quando eſt oratio negatiua.

vt { Tu non ueniſti in ſcholam ob timorem.
Timor tenuit te, quominus uenires in ſcholam.

Item uerba naſcor, naſceris, & capio, capis exprimunt cauſam efficientem.

vt { Iniuria tua, uel ob iniuriam tuam maximum cepi dolorem.
Dolor meus natus eſt ex iniuria tua.

Item accuſatiuus cum ob, uel ablatiuus conuertuntur in datiuum cum uerbo tribuo, & adiungitur aduerbium quòd

vt

vt { Ego Cæſarem non caſtigaui amore, uel ob amorem tuum.
Quòd Cæſarem non caſtigauerim, hoc tribuendum eſt amori tuo.

Item aduerbiũ hinc exprimit causã efficientem.

vt { Diligo te uirtute tua.
Tu uirtute polles, hinc amore te proſequor.

Item ablatiuus opera, & beneficio mutatur in uerbum habeo, uel acceptum fero.

vt { Frãciſci opera, uel beneficio eris doctus.
Franciſcũ habebis auctorẽ doctrinæ tuæ.
Franciſco acceptã feres doctrinam tuam.

Item cum eſt oratio negatiua, utimur uerbis teneo, impedio, impedimentoſum, retraho, & auoco cum aduerbio quominus, de quibus ſupra aliud agentes mentionem fecimus.

vt { Timor mihi ueniendi facultatem ademit.
Timor me tenuit, impediuit, impedimento fuit, quominus in ſcholam uenirem.

Itẽ aduerbiũ inſciè exprimit causã efficientẽ, ut Hic inſciè peccat.

Itẽ aduerbiũ quãdo efficientẽ cãm exprimit, ut Quando mihi parere noluiſti, te uerberaui.

Item genitiuus cauſam efficientem explicat, ut Dabis mihi pœnam erroris tui.

Item

Item uerba hæc causam efficiẽtem demonstrãt, concilio, procreo, adduco, colligo.

vt { Ego amo te doctrina tua.
Doctrina tua conciliat, vel procreat tibi amorem meum.
Doctrina tua adducor te ad amandum.
Doctrina tua conciliat tibi amorem meũ.
Doctrina tua colligit beneuolentiã meã. }

Item ea res ineptè mihi nocuit, idest per ineptias meas.

Sic dices imprudenter offendi, hoc est per imprudentiam.

Item odi mulierem hanc, ut deformem, hoc est odi hanc mulierem, quia deformis est.

Item hæc aduerbia, & coniunctiones, causam efficientem explicant, siquidem, cur, nam, quandoquidem, enim, iccirco, & quòd.

vt { Omnes te amant ob tuam liberalitatem.
Omnes te amant, siquidem, vel quandoquidem es liberalis.
Non est, cur uenias. }

Item hæc uerba, adhibita interrogatione, causã efficientẽ denotant, quid est causæ? ecquid est?

vt { Quid est causæ, cur hoc dicas?
Ecquid est, cur hoc dicas? }

Item quando locutio est negatiua, adhibemus uerbum assigno, uel tribuo.

vt { Timore non ueni.
Si non ueni, timori eſt aſsignandum, uel tribuendum.

Item utimur ſum, es, uel eſt.

vt { Non feci hoc propter dolorem.
Si non feci hoc, doloris fuit cauſa.

Item ablatiuus conuertitur in nominatiuum cũ uerbo ſubſtantiuo, & cum nomine relatiuo.

vt { Tu me laudas humanitate tua.
Tu, qua es humanitate me laudas.
Tu, quæ tua eſt humanitas, me laudas.

Item accuſatiuus conuertitur in datiuum.

vt { Tibi iraſcor ob breuitatem litterarum.
Iraſcor breuitati litterarum tuarum.

vt { Ignoſce mihi ob timorem.
Ignoſce timori meo, uel mihi timenti.

Item coniugatum pro coniugato uſurpãtes cauſam efficientem exprimimus.

vt { Reſpublica fuit cauſa noſtræ amicitiæ, & coniunctionis.
Reſpublica nos coniunxit, & conciliauit.

Item ablatiuo adiungitur ex, & proficiſcor.

vt { Amo te probitate tua.
Amor meus proficiſcitur ex probitate tua

Item hæc locutio ſignificat cauſam efficientem bonum nomen uirtutis fructus eſt, hoc eſt bonum nomen parit uirtus.

Item quando oratio eſt negatiua adhibetur uerbum patior.

vt { Non facio hoc timore.
Timor non patitur, vt hoc faciam.

Item uerbum perficio cauſam efficientem denotat, ut perficiam, ut præſes te amet.

Item quando oratio eſt negatiua, utimur uerbo prohibeo.

vt { Non ueniſti hieme.
Hiems prohibuit, quominus uenires.

Item utimur uerbo, arceo.

vt { Tu timore domum Cæſaris non ueniſti.
Timor te à Cæſaris domo arcebat.

Item uerbum largior cauſã efficientẽ ſignificat.

vt { Tribue hoc amori meo.
Hoc largire amori meo.

Item uerba hæc cauſam efficientem denotant ſequor, pendeo, mano, effluo, exiſto.

vt { Virtus parit gloriam.
Virtutem ſequitur gloria.
A' virtute pendet gloria, manat, & effluit.

37 Mutatio cauſæ finalis, quæ poſtulat accuſatiuum nominis.

vt { Verberaui te ad metum aliorum.
Philippus emit cyathũ ad, vel in vſũ meũ.
Hoſtes quærebant te ad necem.

D Item

Item subiunctiuum cum vt, vel quò.

vt { Veni, vt salutarem amicos.
Veni quò salutarem amicos.

Item supinum, vt

Veni salutatum amicos, veni bibitum.

Item participium actiuum futuri temporis.

vt { Veni salutaturus amicos.
Veni bibiturus.

Item aduerbia hæc quinque causam finalem denotāt. {
Obuiam, vt misi discipulos obuiam Cæsari.
Quorsum, vt quorsum huc venisti.
Huc, vt magnum pariunt honorem litteræ: huc enim inuentæ sunt.
Eò, vt eò est oratiò mea.
Quò, vt veni, quò te uiderem.

Item gerundia hæc quatuor causam finalem demonstrant. {
Di. Veni te causa salutandi.
Dum cum præpositione, ut ueni ad te salutandum.
Dū sine præpositionè, vt apposui tibi piscē epulandū. Pater dedit mihi vos erudiendos.
Indo quando est datiuus: ut Christus, se ipsum impendit seruādis nobis.

Item

Item datiuus nominis causam finalem denotat.

vt { Dedi tibi hoc pignori.
Cæsar venit auxilio nobis.

Item adiectiuum causam finalem significat,

vt { Dabo tibi uestes dotales, ideſt in dotem.

Item uerba hæc causam finalem exprimunt, vt eò pertinet, spectat, refertur oratio mea.

Item aduerbium ne, causam finalem exponit, ut Fugiamus hinc, ne hostes nos captiuos ducant.

Item huiusmodi aduerbia causã finalẽ explicãt.

vt { Tu me inuidiosè interrogasti, ideſt ad excitandam inuidiam.
Tu odiosè hoc dicis, ideſt ad hoc, ut odium concites.

Item huiusmodi participium causam finalem demonstrat.

vt { Absui proficiscens in Græciam, ideſt
Absui, ut proficiscerer in Græciam.

Item huiusmodi loquendi modus causam finalem exponit.

vt { Mercatores huc uenerunt lucrum secuti, lucro commoti.
Lucri cupiditas mercatores huc adduxit, vel impulit.

Item nomen relatiuũ causam finalẽ exprimit, ut Affer bucceam panis, quam pauperi dem.

38 Ratio loquendi per circunſtantias rei, ut
Quando redibis Demophoon ad me? in hac cutione duæ inſunt perſonæ, tempus, locus, inſtrumentum, conſequentia,& contraria.
A' perſona Demophoontis.
Quando tu Demophoon pedem referes, te viſuri ſumus, ora referes.
Item à perſona Phyllidis.
Quando redibis ad me Phyllim? Quando te complectar? Quando colla mea ſuſtinebunt brachia tua? Quando premes collum meum? Quando oculi mei te uidebunt? Quando manus meæ te aduenientem recipient?
Item à loco.
Quando limina mea? Quando portus meus te excipiet? Quando limen domus meæ teretur à te? Quando agros Threicios reuiſes? Quãdo domus mea te Athenis redeuntem excipiet?
Item à tempore.
Quando erit, uel illuceſcet illa dies, in qua te uidebo?
Item ab inſtrumentis, quæ ſunt remi, uela, uenti, anchora, carina, & puppis.
Quando uela tua conſpiciam? Quando uenti vela tua ad nos referent? Quando nauis tua premet portus meos? Quando anchora reuocabitur

tur ad noſtra littora? Quando æquora noſtra ſpumeſcent remis tuis?

Item ab adiunctis, quanta tuo aduentu afficiar lætitia? omnia tuo aduentu ridebunt.

Item à conſequentibus, ut.

Quando te conſpiciam? quando fidem ſolues? uel præſtabis?

Item à contrariis.

Quandiu aberis? Quandiu me hac ſolicitudine liberabis? Quandiu carebo conſpectu tuo? à contrario conſequenti.

39 Item alia ratio mutāda elocutionis admonet, ut uerbū rarius cōcordet cū ꝑſonis, ſed cū rebus: uerbi gratia, Io m'acquiſtai cō l'induſtria mia queſto poco di dottrina. Induſtria mea hoc quicquid ē doctrinæ in me, mihi peperit. Io non mi ſcordarò mai de' benefici, che m'hai fatto: Nulla dies vnquā ex animo euellet beneficia in me tua. Io ricupererò le forze queſta primauera: tepor vernus vires iam imminutas reſtituet.

Et hæc de ornata dicendi ratione dicta ſunto. Et quia Rhetorica (vt ſupra demonſtrauimus) eſt ars rectè, aptè, ornatè, & ſapienter dicendi. Explicatis iam tribus aduerbiis. Aduerbium illud ſapienter nobis eſt explicandum.

Sapienter igitur adhibita grauitate rerum, ideſt

ſenten-

ſententiarum. Orator enim grauia non leuia, ac fabuloſa proferre debet.

Explicata definitione Rhetoricæ facultatis, ad explanationem cauſarum properemus, quæ quidem ſunt quatuor.

Efficiens, materialis, formalis, & finalis.

Cauſa efficiens Rhetoricæ facultatis eſt triplex, ars, imitatio, & exercitatio, Ars (vt inquit author ad Herennium) eſt præceptio, quæ certam viam, ac rationem dicendi tradit.

Imitatio eſt, qua cum diligenti ratione impellimur, vt in dicendo aliquorum ſimiles eſſe ualeamus.

Exercitatio ē aſsiduus vſus, & cōſuetudo dicēdi.

Et quia de cauſa efficienti mentionem fecimus: Liceat parumper nobis diuagari, ac inueſtigare, quæ ſit cauſa efficiens omnium actionum: non enim ab re eſſe duximus hanc in hoc loco inſerere: cum etiam orator varias ſubeat actiones.

1 Naturalis, ut ignis.
Voluntaria, vt faber.
2 Ex toto, vt Sol eſt, tota cauſa dici, quæ ſola hunc effectū parere pōt.
Ex parte mater ē partialis cauſa filii, ſicut & pater: quarū vna ſine alia ſimilē effectū parere nō poteſt.

3 Prin-

Quæ est, aut

3 Principalis, ut robur in militia ad victoriam.
Minus principalis, vt ars in militia.

4 Propinqua, vt pater est causa propinqua filiorum.
Remota, vt auus est causa remota filiorum.

5 Vniuersalis, vt Deus ē causa mortis.
Particularis, vt febris est causa particularis mortis.

6 Principalis, vt faber.
Instrumētalis vt telum, & secures.

7 Præparans, vt doctrina, & assuefactio est causa præparans nos ad virtutem parandam.
Adiuuans, vt inclinatio naturæ est causa adiuuans nos ad virtutem parandam.

8 Agens mota ab aliis, vt voluntas, quæ mouetur utilitate, & corpus ad laborem impellit.
Agens, & impellens, quæ impulsiua vocatur, ut paupertas mouet pistorem ad pinsendum panem.

9 Principalis, vt amor in amante est causa principalis stupri.

Occasio

Occaſio eſt circunſtantia temporis, aut loci, quæ facultatem præbet ſtupro, vt nox, & locus.
Cauſa incitatrix, vt vinum eſt cauſa ſtupri.

Explicato hoc breui cauſæ efficientis omnium actionum cõpendio: nunc verò, vnde digreſſi ſumus, noſtra reuertatur oratio.

Materia Rhetoricæ facultatis eſt quæſtio, quæ eſt id, de quo quæritur, ideſt de quo dubitatur. Et hæc diuiditur in theſim, & hypotheſim. Theſis eſt quæſtio infinita nullum habens tempus, locum, ac perſonam finitam.
Et hæc duplex eſt, cognitionis, & actionis. Cognitionis, vt, cum quærimus curſum ſtellarum, ac planetarum: hæc quærimus, non vt agamus, ſed vt cognoſcamus tantum. Actionis verò, vt, cum quærimus partes iuſtitiæ, eiuſq; contrariæ: hæc inueſtigamus, vt non tantum cognoſcamus, ſed vt in actionẽ conuertamus.

Hypotheſis eſt quæſtio certum tempus habens, locum, & perſonam: & hæc diuiditur in genus deliberatiuum, iudiciale, & demonſtratiuum.

Deliberatiuum genus eſt, quo ſuademus, vel diſſuademus aliquid fieri. Huius loci ſunt octo. Honeſtum, vtile, iucundum, neceſſarium, poſsibile,

posſibile, facile, tutum, & æquum.
Honeſtum eſt, quod per ſe expetitur, etiam ſi nulla inde aut vtilitas, aut voluptas ſequatur: vt fortitudo eſt honeſta, non enim vitæ parcimus, vt fortis nomen conſequamur.
Vtile eſt, quod naturam ſuſtentat, vt cibus eſt vtilis, eo enim ad corpus alendum vtimur.
Iucundum eſt, quod naturam exhilarat, vt condimenta ſunt iucunda, non vtilia: non enim tam pertinent ad ſuſtentandum, quàm ad exhilarandum corpus ad humanum.
Neceſſarium eſt, quo carere non poſſumus, vel quo carere vix poſſumus. Et hoc eſt duplex; ſimplex, & coniunctũ. Simplex, vt moriendũ eſt, & hoc non cadit ſub deliberationem, deliberare enim eſt quaſi delibrare, ideſt de duabus rebus, veluti adhibita lance, vnã eligere, & alteram refutare: at moriendum eſt ſimplex quid eſt, & de re vna, ac ſimplici nulla poteſt eſſe deliberatio, ergo an moriendum nobis ſit, deliberare non poſſumus.
Coniunctum verò eſt, vt comedendum eſt, aut moriendum: & de hoc deliberare poſſumus.
Aequum eſt, quod conſentaneũ eſt legibus, vt reddendum eſſe depoſitum æquum eſt: hoc enim leges præcipiunt.

E Poſsibile

Poſsibile eſt, quod poteſt fieri, & poteſt non fieri: vt poſsibile eſt in forum ire, licet enim, & non licet illud agere, nam hoc poſitum eſt in noſtra poteſtate. Facile eſt, quod ſine magno ſumptu, tempore, & labore fieri poteſt: vt Antonio poſsibile eſſet opiparū conuiuium parare, ſed non facile: magnum enim ſumptū, magnū tempus, magnumq; laborē inſumeret. Tutum eſt, quod rem familiarem, & ſalutem tuetur: ut arx eſt tuta, quæ ſalutem, ac rem familiarem tutatur. Et de his latius infra dicemus. Et hæc de genere deliberatiuo dicta ſufficiant.

Iudiciale verò genus eſt, quo defendimus, vel accuſamus aliquem, & à iudico dictum eſt: iudico verò eſt ius dico.

Ius eſt multiplex. Naturale, legitimum, quam legem appellamus: conſuetudo, æquum, uel æquitas, iudicatum, & pactum.

Ius naturale eſt, quod à natura citra docentis operā nobis inditum eſt. Et hoc in ſex partes diuiditur in religionē, pietatem, gratitudinē, vindicationem, obſeruantiam, & veritatem: vnuſquiſque enim per ſe intelligit, Deos eſſe colendos, parentes obſeruandos, beneficia rependenda, uim illatā repellendam, maioribus obtemperandum, promiſſa præſtanda.

Lex eſt ius, quod à populo, vel Imperatore latũ eſt, vt adulterium eſſe puniendum, ſicarium è medio tollendum.

Conſuetudo eſt ius tacito populi conſenſu propter vetuſtatem, ideſt per decennium æquè, ac ſi legitimum ſit, introductum, vt eſt apud quoſdam populos, ubi nemini agrum vendere licet, niſi à vicino venia petita.

Aequum, vel æquitas eſt mitior legis interpretatio, ut lex eſt, ſi quis peregrinus murum aſcendat, morte plectatur; aſcendit quidam externus, vt vrbem ab imminentibus hoſtibus defenderet, rapitur ad ſupplicium, hic mitius lex eſt interpretanda; ea enim fuit mens legislatoris, vt peregrinum muro aſcendentem ad vrbem oppugnandã prohiberet: præterea mater in vtero geſtans moritur, hæredesq́; inſtituit duos filios ſuperſtites, nulla interim habita mentione filii, quem in vtero geſtabat: moritur, diſcerpto ventre extrahitur infans viuus, adoleſcit, petit portionem hæreditatis, negant fratres, nulla (inquiunt) mentio tui in teſtamento facta fuit; at hoc in caſu mitius lex eſt interpretanda: nam filii quatuordecim de cauſis à parentibus exhæredãtur: ego nullã harũ matri attuli; ergo non fui exhæredandus.

Iudicium est sententia à iudice lata, quæ vim legis habeat: vt, cum nulla pœna in parricidam in legibus extaret, iudices eum culeo insuendum cum vipera, simia, & gallo gallinaceo, ac in profluentẽ coniiciendum curarunt; hæc sententia vim legis obtinuit, & iudicaturis in posterum exemplum attulit.

Pactum est, quod inter aliquos conuenit, vt si quis polliceatur daturum se certam pecuniam alicui, si Romã velit adire; hic, si Romã adierit ueluti iure suo pecuniam repetit, idq; ex pacto.

Locus autem generis iudicialis vnus est, idest à iusto, quod legibus consonat.

Demonstratiuum genus est, quo laudamus, uel uituperamus: huius locus est ab honesto, quod est id, quod per se expetitur etiam si nulla vtilitas inde consequatur.

Diximus tria etiam genera causarum, demonstratiuum, deliberatiuum, & iudiciale. Sed horũ singula tres habent species quæstionum coniecturalem, definitiuã, & qualitatem, idest an sit, quid sit, & quale sit.

Nunc de coniecturali quæstione, idest an quis fecerit, agamus.

CONIECTVRA, SIVE QVÆSTIO AN SIT.

An fecerit.
- VOLVNTAS
  - QVALITAS, Persona, patria, natio, sexus, parentes, genus, ingenium, indoles, educatio, disciplina, mores, res gestæ, professio, Aetas, mors, opinio post mortem.
  - CAVSA
    - IMPVLSIO, idest omnes perturbationes, amor, odium, ira, inuidia, auaritia, ambitio, libido.
    - RATIOCINATIO
      - Adeptio bonorū.
        - Honoris.
        - Voluptatis.
        - Vtilitatis.
      - Euitatio malorū.
        - Dedecoris.
        - Doloris.
        - Damni.
- POSSIBILITAS
  - Signa.
    - Antecedentia.
    - Adiuncta.
    - Consequentia.
  - Circumstantiæ rerum, locus, occasio, modus, instrumentum &c. vide Arist. vbi de possibili.

QVÆSTIO DEFINITIVA, SIVE QVID SIT; VT

ABstulisti rem sacram de loco sacro, ergo sacrilegium cōmisisti à definitione sacrilegii: nam sacrilegiū est ademptio rei sacræ de loco sacro: non sacrilegiū cōmisi, sed furtum potius: res enim, quam abstuli, non erat sacra, sed profana.

STATVS QVALITATIS.

Status qualitatis, aut.

ABSOLVTVS, cum quis dicit, se fecisse aliquid, aut natura impellēte, aut ex lege, aut ex consuetudine, aut ex æquo, & bono, aut iudicato, aut ex pacto de quibus supra in genere iudiciali diximus.

Assumptiuus, cũ quis in defendendo vtitur aut.

1 Inficiatione, i. negatione facti.
2 Remotione, vt cũ in rem transfertur culpam: nõ scripsi valetudine impeditus, nõ torpore
3 Trãslatione, vt cũ culpa in aliũ transfertur, vt non ego, sed alius fecit: vel feci, sed iussu consulis feci.
4 Comparatione, vt de duobus malis minus elegi, vt pudicitiam adolescenti cum eripere vellet tribunus militũ, ab eo est interfectus: vocatur puer in iudiciũ, se excusat dicẽs, se maluisse aliquid periculose facere, quàm turpiter pati.
5 Translatione actionis, loci, iudicis, vt tibi non competit actio: debeo, sed non hoc tempore, non hoc in loco, non sub hoc iudice.
6 Translatione cũ finalis, abii ad lutheranos nõ ad amplectẽda eorũ dogmata, sed ad refellenda.
7 Relatione, vt occidi, ille enim causam attulit, uel procurauit.
8 Cõpensatione feci, sed magnã reip. vtilitatẽ attuli.
9 Deprecatione, quæ non venit in iudicium, sed ad Imperatorem, vel populum.
10 Fortuna, vt non veni impeditus imbre.
11 Imprudentia, intorsi sagittam in feram, & occidi Cæsarem.
12 Necessitate, vt feci, sed necessitate impellente feci, uento flante deieci mulierem in foueam.
13 Extenuatione per definitionem, vt sacrilegium non commisi, sed furtum.

Explicatis iam caufis tum efficientibus, tum amterialıbus, nunc ad formam propero, quæ eſt oratio non Hiſtorica, non Poetica, non Comica, ſed argumentoſa.

Finis Rhetoricæ facultatis eſt perſuadere, ideſt fidem facere. Differunt autem fidem facere, & ſcientiam parere. Fides enim eſt rei cognitio cum ſuſpicione contrarii; eamq́; facimus argumentis probabilibus, vt inimicus erat, ergo occidit, ſunt & multi, qui inimicos ſeruant. At ſcientia eſt firma, & vera rei cognitio, eamq́; parimus argumentis neceſſariis, vt lac habet, ergo cum uiro concubuit; hoc proprium eſt ipſius Philoſophi: fidem facere verò eſt proprium oratoris, qui argumentis adhibitis, aliquid perſuadet: argumentum verò eſt quid inuentum, ideſt erutum è locis veluti è fodinis: Argumentum eſt res nota rem ignotam probans, vt ignotum eſt, an Pamphilus amet, ſed, cum verſetur in lupanari, ꝙ eſt notum, per hoc probo eum amare, vt

Quiſquis verſatur in lupanari is amat, Pamphilus verſatur in lupanari; ergo Pamphilus amat.

Argumentum eſt duplex, neceſſarium, & probabile.

Argumenta neceſſaria ſunt ex propoſitionibus

bus, uel enuntiationibus ſemper eodem modo ſe habētibus, ut Deus eſt ſapiens, & bonus. Argumenta uerò probabilia ſunt, quæ plerumq;, & ut plurimum, uel ſi non omnino, at maiore quadam ex parte uera ſunt, ut omnis mater diligit filium.

Differt autem argumentũ ab argumentione. Argumētatio enim eſt argumenti explicatio, ideſt diſpoſitio, & eſt totus ſyllogiſmus.

Argumentum autem hoc pacto diſponitur aliquando enim, & plerunq; ponitur in prima parte maioris propoſitionis, nonnunquam in ultima parte utriuſque propoſitionis, & aliquando in prima parte maioris, & minoris propoſitionis.

Omnia genera argumētorum, tam necessariorū, quā probabiliū hæc sunt.

- A ssumpta .i. extrinseca; quæ testimonia appellantur.
  - Diuina quæ sex
    - Oracula.
    - Auspicia.
    - Vaticinationes.
    - Responsa sacerdotum.
    - Aruspicum.
    - Coniectorum.
  - Humana, quæ tria.
    - Auctoritas.
    - Voluntas.
    - Oratio, quæ est, vel.
      - Libera, quæ continet scripta, pacta, & promissa.
      - Expressa; quæ cōtinet iurata, & quæsita.
- Insita, quæ sūt affixa, vel infixa, & affecta.
  - Affixa, uel infixa.
    - Definitio.
    - Enumeratio.
    - Etymologia.
  - Affecta sunt.
    - A cōiugatis, à genere, à specie, à simili, à differentia, à contrario.
    - A coniugatis, ab antecedentibus, à consequentibus, à repugnantibus, à causis, ab effectibus, à maiori, à pari, à minori.

Nunc hæc singula, quæ sint uideamus, & primum de diuinis dicendum est.

Oraculum est uox diuino ore prolata; ut si uel-

lem probare, Socratem esse sapientissimũ, hoc ab Appollinis testimonio probarem, qui eum sapientissimum appellauit. Huc pertinent verba omnium diuinarũ scripturarum; ut si quis neget auaros, & adulteros perdendos, hoc falsũ esse Apostoli verbis probabo: auari (inquit ipse) & adulteri regnũ Dei non possidebunt. Auspicium est significatio per aues, fulmina, & tonitrua, &c. vt non licet hodie haberi comitia, quia tonuit, & fulgurauit: item quia morbo regio quis oppressus in campo decidit, quem morbum comitialem appellabant: quia si quem impeteret, dissoluebantur comitia.

Vaticinationes vatum erant prædictiones: vt Sibylla: vt si probem, nõ reducendũ esse Ptolemæum in regnum; quia scriptum est, caueat P. R. ne regem cum exercitu deducat. Huc pertinent scripta Hieremiæ, Isaiæ, & cæterorum Prophetarum.

Responsa Sacerdotum, Pontificum decreta, qui iuri præerant, ut hodie placandi sunt manes, vel funebria persoluenda, quia Pontifex mandauit: ius canonicũ appellatur nostra tẽpestate.

Responsa Aruspicum. Hi erant extorum inspectores: nigrescunt exta: non igitur suscipiendum est bellum:

Responsa

Reſponſa coniectorum, ſomniorum interpretes vt de Daniele, de Ioſepho. Item Liuius de ſecundo bello Punico ſcribit, viſum eſſe ſolem pugnare cum Luna, & Solem minui. Hoc portendebat Imperium Romanum fore ab Annibale imminuendum, ac propè frangendum.

Declaratis iam diuinis, nunc quæ ſint humana, videamus.

Auctoritas eſt ſententia imitatione digna; & propriè ad ſapientes pertinet, qui poſſunt de rep. certam facere ſententiam: vt ſi velim probare voluptatem eſſe malã: id ab auctoritate Platonis probabo, qui eam eſcam vitiorũ appellat, vt enim eſca illicit piſces, ſic voluptatis conſequendæ libido homines ad flagitiũ impellit; hinc enim proditiones, hinc clandeſtinæ cædes, hinc furta oriuntur. Vide Cic. de ſenectute.

Voluntas eſt propriè Magiſtratuum, ſic volo, ſic iubeo, vt edicto cauit, ne quis circumferat gladium. Hùc pertinent leges, edicta prætorum, ſtatuta principum.

Oratio
- Libera
  - Scripta, huc pertinent testimonia, vt ego hæres, quòd ex testimonio probo.
  - Pacta, si quis neget, se mihi debere pecuniam, ex chyrographo probo.
  - Promissa Dido arguit à fide: Nec te data dextera quondam: fides est argumentum insitis.
- Expressa
  - Iurata, iureiurando veritas elicitur; Iliaci cineres, & flamma extrema meorum.
  - Quæsita tormenta sunt, in quibus dolor elicit veram vocem.

Vidimus, quæ sint argumenta assumpta, idest extrinseca: Nunc uerò de insitis, vel affixis agamus; & primò à definitione est inchoandum.

DE DEFINITIONE.

DEFINIRE autem est rem inuolutam euoluere, & explicare, vt Dialectica est ars veri, & falsi dignoscendi.

Definire est rem suis finibus terminare, sumpta metaphora ab agris, quibus fines circumponuntur, vt ager ab agro secernantur; sic Definitio introducta est, vt res à re distinguatur.

Definitio

Definitio introducta est, sumpto exemplo à natura, vt enim natura homines communione similes quadam uarietate distinxit, idest varietate uultus, sic Definitio res cõmunione quadam similes, quadam proprietate, ac varietate distinguit, vt homo, bos, angelus sunt animalia, sed homo est animal rationale, mortale; rationale ad differentiam bouis, & cæterorum belluarum ratione carentiũ: mortale ad differentiam angeli, & cæterorũ spirituũ cœlestiũ.

Definitio gerit vicem Medii Termini: ea enim magis est aperta, quam ipsum Definitum: vt si velim probare, Dialecticã esse vtilem, ab eius Definitione probo.

Quicquid parit cognitionem veri, & falsi est vtile: Dialectica, est cognitio, veri & falsi: ergo Dialectica est vtilis.

Definitio constat ex genere, & differentiis: vt homo est animal rationale, mortale.

Quid est genus? Est nomen generale continens sub se multa nomina particularia, vt animal continet hominem, bouem, leonem, equum &c.

Definitio, quæ cõstat ex genere, & differẽtiis crebrò vsurpatur, tum ab oratore, tũ à dialectico.

Et quia non tantum quid definitur per genus, & & differentias, ſed etiam per cauſas, ideo nunc cauſas inueſtigemus.

Quattuor enim ſunt cauſæ, efficiens, materia, forma, & finis.

Efficiens cauſa eſt perſona, uel res aliquid faciens, ut ueſtiarius ueſtem.

Materia eſt, ex qua aliquid fit, vt pannus, ex quo fit veſtis.

Forma eſt rei perfectio, & abſolutio, cuius meritò res eſt, & appellatur, vt veſtis, & menſa.

Finis eſt, cuius gratia aliquid fit, vt veſtis fit tegendi corporis gratia.

Definitionum autem cauſaliū exempla hæc ſunt.

Domus eſt ædificium ex cæmentis, & lapidibus conſtitutum ad pellendas cœli iniurias.

Veſtis eſt integmentum factum, tegendi corporis gratia.

Panis eſt cibus coctus ex farina, & aqua compactus.

Nonnullæ etiam Definitiones conſtāt ex genere, & officiis, vel effectibus, cum enim penuria differentiarum laboramus, ad officia, & effectus rerum excurrimus, vt

Rex eſt, qui vnus rerum potitur, & ius dicit ex certis legibus.

Tyrannus

Tyrannus eſt,qui vnus rerũ potitur,& ius dicit ex arbitrio ſuo,non ex præſcripto legum.

Magnes eſt lapis,qui ad ſe ferrũ allicit,& trahit.

Virtus eſt propenſio voluntatis, quæ incitat ad agendum ſecundum rectam actionem.

Vitium eſt propenſio voluntatis, quæ incitat ad agendum præter rectam actionem.

Grammatica eſt ars rectè loquendi.

Medicina eſt ars pellendi morbum.

Rhetorica eſt ars rectè, ornatè, & apertè loquendi.

Definire etiam quid poſſumus,adhibitis eius partibus. Partes ſunt, quæ ſimul iunctæ conſtituunt totum, vt ſi ſtatuarius coniungat crura, ventrem, caput, & brachia, conſtituet corpus, Definitio igitur erit huiuſmodi.

Corpus eſt,quod capite,vẽtre, brachiis cõſtat.

Domus eſt ædificiũ fundamento, parietibus, tectoq; conſtans.

Nomina temporũ definiũtur etiã per partes, vt.

Annus eſt ſpacium temporis conſtans trecentis ſexaginta ſex diebus, & quadrante.

Menſis eſt ſpatium temporis conſtans ferè triginta diebus,vel eſt duodecima pars anni.

Hebdomas eſt ſpatium temporis conſtans ſeptem diebus.

Dies est ſpatium temporis conſtans ex viginti quatuor horis.

Nomina locorũ definiuntur etiã per partes, vt Bononia est vrbs in Gallia Ciſalpina, quam Rhenus interfluit.

Italia est regio Europæ Adriatico mari, & Tuſco, alpibus, & Apennino clauſa.

Nomina numorũ etiã per partes defiiuntur, vt Denarius est nummus conſtans ex quatuor ſeſtertiis.

Seſtertius ẽ nũmus duobus aſsibus, & dimidia.

Aſsis est nummus conſtans ex quatuor quadrantibus.

Definitur etiam quid ex inſtrumento, vt oleum est liquor ex oliua trapetibus expreſſum.

Item à deſtinatis quid definimus, vt Bellum Troianum fuit, quod Græci cum Troianis geſſerunt propter Helenam ſceleſtam.

Item qualiter quid definiatur à qualitate, vide Ludouicum Viuem de hac valde differentem.

Definitur etiam quid à relatione, vt.

Pater est, qui habet filium.

Filius est, qui habet patrem.

Item inuenitur Definitio ab actione, vt Delphin est celerrimus piſcium natans, & ſolus inter eos ſaliens.

Definitur

Definitur etiam quid à passione, vt

Iracundus est, qui ad iram leuissimis de causis celerrimè rapitur.

Adest etiã Definitio à tempore, ut Amygdalus est arbor, quæ prima omnium floret.

Pyrus syluestris est arbor, quæ tardissimè floret.

Item definitur quid à situ, ut.

Homo est animal recto vultu cœlum intuens.

Definitur etiam quid ab habitu, ut

Romani sunt gens togata.

Græci sunt gens palliata.

Definitur etiam quid à contrariis, ut.

Cæcitas est priuatio uisus.

Definitur etiam quid per Metaphoram, ut

Iuuentus est flos ætatis.

Senectus est occasus uitæ. Et de hoc uide Boetium de differentiis.

Definiri, & quid potest per indigentiam, ut

Quadrans est, cui dodrans deest, ut sit assis.

Vltimò definitur quid per negationem, ut.

Accidens est, quod neque genus est, neque differentia.

Sed antequam ulterius progrediamur, res postu lat, ut quæ sit substantia, & accidens, uideamus: postea quæ sit qualitas.

QVID SVBSTANTIA, QVID ACCIDENS.



DE GENERE, ET SPECIEBVS.

GENVS eſt nomen commune omnibus ſpeciebus.

Species eſt nomen commune omnibus indiuiduis.

Negato genere, negatur& ſpecies, ideo à genere ad ſpeciem negatiuè argumentamur. Genus enim eſt prius, quàm ſpecies, & gerit uicem materiæ, ut nulla uirtus erat in Nerone, ergo nec temperantia.

Poſita ſpecie, ſequitur genus, & ideo ab ea affirmatiuè argumentamur, ut Seius eſt homo, ergo eſt animal.

DE TOTO, ET PARTIBVS.

TOTVM eſt, quod conſtituitur ex partibus. Partes ſunt, quæ ſimul iunctæ conſtituunt totum.

Poſito toto, ſequuntur & partes, ab eoq; affirmatiuè ſumimus argumentum, ut domum diruendam conduxiſti: ergo & fundamenta.

Remota parte, remouetur & totum, & ideò à partibus ad totum negatiuè argumentamur, ut non eſt paries, ergo nec domus.

Differunt autem genus,& totum,ſpecies,& partes: genus enim eſt prius ſpeciebus. Totum uero eſt poſterius partibus. Speciebus ſingulis ineſt genus, ſed ſingulis partibus non ineſt totum.

Multiplex autem eſt totum,totũ in quantitate, ut exercitus eſt ualidiſsimus, ergo & legio, & cohors.

Totum in tempore, vt Deus ſemper prouidet rebus humanis, ergo & nunc.

Totum in loco,vt Deus eſt vbiq;, ergo & hic.

DE NOTATIONE VERBI, IDEST DE ETYMOLOGIA.

ARGVMENTAMVR ab interpretatione rei ideſt à notatione ad rem interpretatam negatiuè: negata .n. deriuatione, negatur & deriuatũ, vt non eſt ſtudioſus ſapientiæ: ergo non eſt Philoſophus: non loquitur de Deo, ergo non eſt Theologus, non eſt factum de meo tuum, ergo non eſt mutuum, non feciſti quod dixiſti,ergo fidem non ſeruaſti.

A're interpretata, ideſt à nota ad interpretationem, hoc eſt notationem argumentamur affirmatiuè, ut Theologus eſt: ergo poteſt, uel

uel debet loqui de Deo. Philoſophus eſt, ergo ſtudioſus Philoſophiæ ſit, neceſſe eſt, hoc factum eſt de meo tuum, ergo eſt mutuum.

A' CONIVGATIS.

CONIVGATA ſunt, ſtudeo, ſtudium, ſtudioſus, & ſtudiosè: iuſtus, iuſtè, & iuſtitia. docere, doctor, & doctrina.

Poſito vno coniugatorum, ponitur & alterũ. Et econuerſo: negato enim altero ex Cõiugatis, negatur & alterum: ut ſi doctrina eſt bona, ergo docere eſt bonũ, ſi iuſtitia eſt reddere vnicuique quod acceperis, ergo Alexander pomum reddens ei, à quo pomũ alius acceperat, iuſtè fecit, ſi Populus Romanus amat libertatem: ergo & liberatores, maritum, & uxorem Deus coniunxit: ergo matrimonium eſt coniunctio diuina.

Differunt locus à coniugatis, & locus ab Etymologia, Coniugata enim non ſunt idem inter ſe. Sed interpretatio rei cum re interpretata eſt vnum quid inter ſe.

A' SIMILI.

SIMILITVDO est duarum rerum inter se collatio: vel similia sunt, quæ in qualitate conueniunt, ut sanitas prius amissa, & postea recuperata iucundior est: sic patria exuli restituta carior est, vt virga tortuosa admota palo facile dirigitur, sic tenera puerorum ætas, si recta institutio accesserit, facile emēdatur: & vt arbor nodosa, & trunco detorto, nulla vi corrigi potest, sic hominē prouectæ ætatis nullo modo emendare valebis. Huc pertinent parabolæ, apologi, fabulæ, argumenta, & apophthegmata.

Parabola non differt à similitudine: ut de eo, qui ædificare cœpit turrim in Euangelio, nec absoluere potuit: quo docemur maiora uiribus nos aggredi non debere.

Apologus est res ficta, in quo multa animalia loquētia introducuntur: ut de aranea, quæ retia in foribus suspenderat, & postea ab hirundine cū retibus per aera portabatur, quæ res monet, nobis onera uiribus nostris imparia nō esse subeunda. Huc pertinent fabulæ, quæ & ipsæ sunt res fictæ, ut de Phaetōte scribunt Poetæ; quo quidem exemplo monemur, maiora

iora uiribus non esse aggredienda.

Argumentum est res ficta, quæ tamen fieri potuit: ut Cremes apud Terentium, qui timebat Nausistratam uxorem, quo argumento docemur, uxorem ditiorem, aut nobiliorem non uxorem esse, sed heram.

Apophthegmata sunt scitè dicta: vt Seneca interrogatus, quis nobilissimus esset, respõdit: circulus quantò magis circulus est, tantò nobilior est, nec interest, aureu'sne sit, an argenteus, & norma fabri cæmentarii quantò rectior, non quantò pretiosior est, tantò est nobilior. Sic homo, quantò magis secundum rationem uiuit, tantò nobilitate pollet.

Similitudo autem multis modis claudicat natura, proprio, tempore, loco, causa, persona.

Natura, ut homo uoluptati operam non det, quoniam & bruta: sed homo ratione gubernatur, qua voluptates euitare debet: bruta verò animalia rationis sunt expertia.

Proprio. Insit iuuentuti seueritas, quoniam & senibus, at iucunditas propria est iuuentutis: seueritas verò senibus conuenit.

Tempore. Cato, inuecto frumento in vrbem, præmium reportauit: sic & ego, qui frumentum in Vrbem inuexi præmio affici debeo.

Sed

Sed Cato tempore calamitatis: tu verò tempore vbertatis frumentũ inuehendũ curasti.

Loco. Eadem pœna plectatur Aiax, qua & Paris: immò Aiax maiori pœna dignus censetur: in templo enim errauit.

Causa idem supplicium irrogetur in Vlyssem, quod etiam in Dolonem: ambo enim ad hostes transfugerunt: At Vlysses non proditionis, sed explorandi gratia hostes adiit.

Persona. Retineat Marius Imperium, quoniam & Scipio. At Scipio vir bonus erat, Marius verò ambitiosus.

Dissimilia igitur hæc sunt: & hi erunt loci à dissimili, qui sunt sex.

DE CONTRARIIS.

Oppositorũ quatuor sunt genera.

Contraria sunt duę qualitates quæ non possunt simul cõsistere, & semutuò perimũt, quorũ vtrumque existit in rerum natura. Et hæc sunt.

- Mediata, quorũ altero posito, tollitur alterũ, vt est callidũ: ergo nec frigidũ, nec tepidum.
- Immediata: in quibus affirmatiuè, & negatiuè possumus argumentari, vt est sanus, ergo non est ægrotus: non est sanus, ergo ægrotus.

Relatiua sunt, quæ mutuã sibi essentiã subministrant, & ambo eodem tempore in rerum natura existunt, vt pater, filius, seruus, & dominus: & in his posito vno, ponitur alterum, vt pater est, ergo filius: negato vno, negatur & alterum, vt iste non habet seruos; ergo non est dominus.

Priuantia, seu priuatio est absẽtia rei, quę adesse poterat subiecto: & hęc sunt.

- Perfecta; idest quę tota simul conficiunt, vt lux, & tenebræ, in his vno affirmato, alterũ negatur, vt est lux, ergo non tenebræ, & altero negato, alterum affirmatur, vt non est lux, ergo sunt tenebræ.
- Imperfecta, in quibus altero posito, tollitur alterum, ut cæcus est, ergo nõ uidet, sed negato, altero, non ponitur alterum, ut non uidet, ergo cæcus est: hoc falsum est: catuli enim intra nouem dies non vident, tamen cæci non sunt.

Contradicentia, seu contradictio est oratio

affirmans, & negans de eodem ſubiecto, eodem tempore, & quæ nunquam ſimul uera eſſe poſſunt, ſed ſi alterum uerum eſt, alterum falſum ſit, neceſſe eſt, ut Socrates ſedet, ergo falſum eſt, Socratem non ſedere.

De Antecedentibus.

ANTECEDENTIA ſunt, aut neceſſaria, aut probabilia, neceſſaria ſunt talia, ut natus eſt, ergo morietur, in his argumẽtamur affirmatiuè, & negatiuè, ut aurora eſt, ergo Sol prope adeſt: non eſt aurora, ergo Sol non prope adeſt. Probabilia ſunt; vt morbus, curatio, dolor, & cõſolatio, peccatum, & remiſsio, pugna, & uictoria, cõcubitus, & partus, diligere, & benefacere, periculũ, & liberatio, & ſimilia. Et in his negatiuè argumentamur. Vt nõ tenetur morbo, ergo non eget curatione.

De Conſequentibus.

A' Conſequentibus affirmando argumentamur, vt curatus eſt, ergo morbo tenebatur; peperit, ergo concubuit. Sol adeſt, ergo aurora præceſsit. Chriſtus reſurrexit, ergo mortuus erat. Chriſtus ſeruauit nos, ergo mortui eramus.

A Cauſis.

CAVSA eſt, quæ parit effectum.

Remota cauſa, remouetur effectus, vt non diſcit

ſcit, ergo doctus non euadet.

Cauſarum quatuor ſunt genera, alia eſt efficiens, alia materialis, alia formalis, alia finalis.

A Cauſa efficiente.

CAVSA efficiens eſt id, à quo aliquid fit.

Sublata cauſa efficiente, tollitur effectus, vt, Nullus eſt artifex, ergo domus non erigetur, Nullus eſt præceptor, ergo quomodo diſcent pueri? Nulla lucet in te virtus, quomodo ergo poſtulas honorari? Non ſeminaſti, ergo non eſt, cur metas.

Item ſi bona eſt cauſa efficiens, bonos producit effectus. Arbor bona, bonos fructus facit.

A Cauſa materiali.

CAVSA materialis eſt, ex qua aliquid fit.

Remota materia, remouetur & forma, vt non eſt metallum, ergo bombardas non conflabunt artifices: Angeli non ſunt compoſiti ex elemenris, ergo non habent corpora. Non ſunt ligna, quomodo ergo nauim, vel ignem extruemus?

A Cauſa formali.

FORMA eſt, quæ materiam informat, & figurat, vel eſt id, cuius merito res eſt, & appellatur,

vel forma eſt, propter quā res eſt, & appellatur, & cognoſcitur, ut ſtellæ non habent animam, ſeu mentem, ergo non ratiocinantur, lapis nullam habet animam, non eſt igitur animal.

A Cauſa finali.

FINIS eſt, cuius gratia aliquid fit. Cuius finis eſt bonus, ipſum quoque eſt bonum, vt matrimonium eſt bonum: nam finis eſt bonus: inuentum eſt enim ad euitanda ſtupra: Emendatio eſt bona, quia eſt cognitio. Huc pertinent deſtinata, vt bona eſt pecunia, quia ad vſum pauperum eſt inuenta: Item licet circumferre gladium, quia licita eſt defenſio ſui.

Cognito fine, ſtatuimus de mediis, vt homo natus eſt ad intelligendum verum, & ad bene viuendum: igitur diſcat oportet, igitur aſſueſcat honeſtis actionibus.

Duo impellunt ad agendum.	Adeptio bonorum, quæ ſunt,	Vtile. Honeſtum. Iucundum.
	Euitatio malorū, quæ ſunt.	Damnoſum. Turpe. Moleſtum.

Duo

Duo deterrent ab agendo.
- Amiſsio bonorũ, quæ ſunt.
  - Vtile.
  - Honeſtum.
  - Iucundum.
- Incurſio malorũ, quæ ſunt.
  - Damnoſum.
  - Turpe.
  - Iniucundum.

Argumentamur affirmatiuè, & negatiuè in cauſa finali, vt Clodius utilitatẽ ſperabat ex morte Milonis, ergo inſidias ſtruxit; Milo nullam utilitatem ſperabat, ergo non inſidiatus eſt.

Ab Effectis.

EFFECTVS eſt, qui naſcitur ex cauſa; ut gloria naſcitur à uirtute.

Poſito effectu unius cauſæ, neceſſe eſt, cauſam eſſe, aut fuiſſe tàm in neceſſariis, quàm in probabilibus; ut dies eſt, ergo ſol eſt ſuper terrã; Peperit, ergo concubuit: doctus eſt, ergo didicit; domus eſt, ergo fuit architectus; Extant opera Platonis, ergo Plato fuit; ſtuprauit, ergo amabat.

Si effectus dicitur ex multis cauſis, tunc non ualet argumentatio affirmatiua: non enim licet argumentari in hunc modum: Lux eſt, ergo dies eſt, quia faces, & fulgura poſſunt lucem parere; ſed negatiuè argumentum ualet, ſub-

lato enim effectu, tolluntur omnes causæ, ut plurimum; ut lux non est, ergo nec dies, nec faces accensæ sunt, nec fulgura, tametsi hoc perpetuum non est;

Ab Adiunctis.

ADIVNCTVM est, quod rei adhæret, aut semper, aut plerunque; ut adolescentiæ libido adhæret, diuiti superbia, seni, auaritia: mulieri inconstantia: cauponi perfidia: nautæ audacia: licet ergo argumentari: Pamphilus est adolescens, ergo libidinosus: Cæsar est senex, ergo auarus: Cui enim conuenit unum adiunctorum, eidem conuenit & alterum.

Adiuncta sunt octo, Natio, & patria, vt hic Græcus est, ergo leuis: Cretensis est: ergo mendax, Poenus ergo perfidus.

Genus, & parentes, vt sæpe solet similis filius esse patri, quia sæpe similitudo patris elucet in filio, & paterna vitia plerumq; abeunt in sobolem, vt audacissimi patris audacissimus filius: vt in prouerbio est κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν Nam fortes, fortibus creantur: nec generant aquilæ columbas: & in iuuencis, & in equis est patria virtus.

Sexus, vt mulier est, ergo credula, & incōstans, Virgilius: variū, & mutabile semper fœmina.

Aetas: iuuenis eſt, ergo robuſtus, ergo audax, ſenex eſt, ergo meticuloſus, ergo auarus: de quibus videndus eſt Ariſtoteles libro primo Rhetor.

Educatio: molliter educatus eſt, ergo mollis: eſt honeſtiſsimè educatus, ergo honeſtè viuet, nullum habuit emendatorem in pueritia, ergo licentioſus eſt.

Studia: Philoſophus eſt, ergo male de Deo ſentit: Iureconſultus eſt, ergo cauillator: Et hæc à ſcientiis ſumũtur: ab artibus verò, vt miles eſt, ergo impauidus, caupo eſt, ergo perfidus.

Habitus, corporis, & animi, vt imbecillis eſt, ergo non potuit occidere: formoſus eſt, ergo ad amandum impulit: imprudens eſt, ergo peccauit: ingenioſus eſt, ergo diſcere poterit.

Fortuna, pauper eſt, ergo humilis: diues eſt, ergo ſuperbus: videndus eſt Ariſtot. de moribus diuitum libro primo Rhetor.

À minori.

Argumentum à minori, hoc eſt à minus uerifimili ualet ad affirmandum, vt, ſi adulterii cauſa Troia exciſa eſt, & Tarquinius ſuperbus è regno eiectus eſt, ergo multò magis priuatus hic adulter puniendus eſt.

À Ma-

A Maiori.

Argumentum á maiori, id est à faciliori, vt hic non alit patrem, ergo minus alienum: hic non fert contumeliam pro Christo, ergo multò minus uitam profundet; & quia oratores non modo probant, aliquid esse bonum, & vtile, sed de duobus bonis utrum melius, & vtilius: Ideo de infradictis locis, quibus hoc probant, nobis est agendum.

A Tempore.

Diuturniora sunt præstantiora, vt regnum est præstãtius cõsulatu, magis est enim diuturnũ.

A Loco.

Latiora sunt præstantiora; vt præstantius est seruare prouinciam, quàm vrbem: Item fortitudo præstantior est Temperantia: nam qui temperans est, sibi temperans est: fortis verò, & sibi, & aliis.

A Subiecto.

Subiectum est illud cui res altera innititur: quorum præstantius est subiectum, illa sunt præstantiora, vt pileus præstãtior est calceo, quia caput est nobilius pede, sic pileorum artifex præstantior est calceario.

A Causa.

Quorum causa præstantior est, illa sunt dignio-

ra, vt vincendi ſe ipſum cauſa eſt ſapientia, & conſilium, vincẽdi hoſtes cauſa eſt fortuna, ergo victoria ſui ipſius præſtantior eſt victoriis bellicis.

Ab Effectu.

Quorum effectus præſtantior eſt, illa ſunt nobiliora, vt ſcientia præſtantior eſt venatione, illa enim abſoluit animum; ſed venatio bene conſtitutum reddit corpus.

A Fine.

Quorum finis eſt præſtantior, illa ſunt præſtãtiora, vt finis rectæ educationis eſt virtus: finis verò dietæ eſt ſanitas. Item finis iuſtitiæ eſt publica ſalus, finis temperantiæ eſt priuata ſalus.

Finis præſtantior eſt, quàm inſtrumenta, quæ ducunt ad finem: vt ſanitas præſtantior eſt exercitatione, nam exercitatio fit cauſa ſanitatis.

Difficiliora ſunt præſtantiora, vt ſeipſum uincere eſt præſtantius, quàm uincere hoſtes.

Item præſtantiora ſunt ea, propter quæ alia ſunt in pretio, vt virtus eſt præſtantior, quàm gloria, quia meritò virtutis fit, vt gloria ſit in pretio, Nam tolle virtutem, nulla erit gloria.

Præſtantius eſt, quod per ſe expetitur, quã propter aliud; vt honor præſtantior eſt diuitiis, ea enim propter aliud expetuntur: honor verò

propter se desideratur.

Et hi sunt loci, quos adhibet orator ad probandum, aliquid aliqua re esse præstantius.

A Signo.

SIGNUM est nota rei, quæ sensu percipitur: Vel signum est, quod sub aliquem sensum cadit: Vel indicium, aut vestigium quoddam, per quod alia res intelligitur, vt ex lacte manante ex vberibus probatur, mulierem cum viro concubuisse; sub sensum cadit, id est sub quinque sensus, qui quidem sunt hi, visus, vt cicatricem video, ergo vulnus fuit, auditus, ut campana obtusum reddit sonum, ergo est fracta. Gustus, vt acrimoniam habet uinum, ergo abiit in acetum: odoratus, vt malè olet caro, ergo putredo subest. Tactus, vt nullus motus est in arteriis, ergo vis cordis prostrata est.

Signa duplicia sunt, alia necessaria, alia probabilia; necessaria vt magna vis ventorum in mare incubuit, ergo magna tempestas est; probabilia sunt, quæ vt plurimùm vera sunt, vt respersa erat cruore vestis, ergo occidit: Et hæc sunt triplicia, alia sunt antecedentia, alia adiũcta, alia consequentia: Antecedentia, vt verborum contentio præcedit cædem, item ensem acuendum curasti, minatus fueras, inimicus

eras,ergo occidiſti:homo naſcitur inermis,& nudus,ergo non ad bellum:Adiūcta ſumūtur ex loco,&tempore,vt Clodius de loco ſuperiore impetum fecit in Milonem, ergo inſidiatus eſt, item veſpere, vt cædes celari, & ignorari poſſent.Conſequentia, vt interrogatus de cæde expalluiſti, lingua titubabat, gladius cruentatus erat,ergo occidiſti.

A Loco.

LOCVS ſubminiſtrat nobis materiā multiplicē: Quæſtio enim coniecturalis à loco probatur, vt Roſcius non erat Romæ,vbi pater occiſus eſt,ergo non occidit,nemo enim eodem tempore in pluribus locis eſſe poteſt.

Præſtantiſsimæ rei præſtantiſsimus locus eſt attribuendus:Deus eſt præſtātiſſimus omnium rerum:ergo in præſtantiſsimo loco habitat,id eſt in cœlo: Nō pugnandū cum equite in hoc loco,quia planus eſt:verſatur in lupanari,ergo amat:quid faceres domi tuæ,qui tam inſolens es alienæ? Clodius de loco ſuperiori impetum fecit, ergo inſidiatus eſt.

Quæſtio etiam definitiua à loco probatur: delictum enim pro ratione loci variatur, vt rem de loco ſacro abſtuliſti,ergo non furtum, ſed

ſacrilegium commiſiſti.

Quæſtio qualitatis à loco probatur, vt timor Ciceronis iuſtus eſt: quia inſolita ferri facies inſolita erat, diſpoſitis vbique armatis militibus, turpis hæc negotiatio, quia in templo fit, turpe Antonii factum: nam in æde Cõcordiæ armatos diſponebat: itẽ res à loco amplificatur, quomodo autem amplificetur, videbimus in de amplificationibus.

A Tempore.

VARIAM etiam probandi facultatem tempus nobis ſubminiſtrat.

Temporis aũt duæ ſunt partes, alia ſubſtantialis, alia Accidentalis, partes temporis ſubſtantiales ſunt annus, menſis, hebdomas, æſtas, autumnus, ver, hiems, dies, hora, & momenta, dicuntur autem ſubſtantiales, quia, ſi remoueantur, tempus non ſubſiſtet, id eſt mancum erit & imperfectum, vt, ſi aliquot dies detraxeris à menſe, non erit menſis, ſicut ſi parietes à domo detraxeris, non erit amplius domus. Accidentales, vel fortuitæ temporis partes ſunt, vt nuptiæ, ludi, conuiuia, funera, quæ tamen ſi demas ab anni ſpatio, annus tamen erit menſis erit menſis, ſicut ſi color à manu, vel à domo remoueatur, domus tamen, & manus in ſuo ge

nere

nere semper persistent.

Argumenta sumuntur à partibus temporis substantialibus, & accidentariis, vt prudens est, quia diu vixit: oportet te abundare præceptis philosophicis, quia annum iam audis Cratippum: hic dies, vel ætas alios mores postulat: cum non sis puer: non igitur puerorum more amplius tibi est uiuendum. Paulus, tempus breue est, quasi dicat, quid iuuat congerere, quæ sis breui relicturus? nō stertendum est in lectulo, quia dies est, alia alio tempore decent, ac dedecent, vt ludus, ac ioci tempore bacchanali decent, quæ res tamen quadragesimali tempore non permittuntur. Socrates: mane consilium, vesperi conuiuium. Solomon, ueh ciuitati, cuius princeps mane comedit, id est tunc epulatur, cum de consilio, ac vtilitate ciuium, non de propria voluptate est cogitādum. Hinc Horatius in odis suis, cum irridebat, qui æstiuo tempore penula utebatur, hiemali vero campestre indumentum adhibebat, non cogendi agricolæ in urbem: quia uindemiæ sunt.

A tempore rem aliquam amplificamus, quomodo autem, infra videbimus

Ab occasione.

OCCASIO est illud ipsum tempus ad aliqui agendum, illud ipsum, id est aptissimũ, & præstantissimum, quod agenti viam præbet, vt amanti tenebræ sunt occasio: hinc prouerbium occasio facit furem: Hinc ponuntur argumenta à possibili, vt occasionem habes, qua melior nulla reperietur, ergo facillimè poteris Trebati, ditescere.

De Modo actionis.

INVITVS discit, ergo non habet animum propensum ad litteras, magna cum celeritate comedit, ergo uoracitatis vitio laborat, clam introiuit in vrbem, ergo de vrbe prodenda cogitat, imprudenter verberaui, ergo non sum puniendus: Cicero partes Pompeianas in bello ciuili, desperatis iam rebus Pompeii, est secutus, ergo nō regni cupiditate inductus hoc fecit, Christus palam docebat, ergo non de seducendo Populo cogitabat, iratus feci, ergo excusandus.

Et hæc de modo actionis, ac cæteris locis communibus argumẽtorum breuiter dicta sunto: nunc quomodo vitiosæ argumentationes à veris dignoscãtur, reliquuum est, vt videamus.

Vt Definitio.

SI nonnulli loco à definitione, quæ vera non sit definitio, vtantur, repellenda est argumentatio, vt Picus argumentabatur in hunc modũ, nullus fucus decet Philosophũ, eloquentia est fucus, ergo eloquentia non decet Philosophum, falsa est definitio eloquentiæ, quæ non est inanis quidam verborum ornatus, sed est ars, quæ aptè, distinctè, & ornatè exprimit mẽtis sententiam, & ideò conuenit Philosophis, & cæteris viris eruditis.

Item Philosophus est cognitor rerum humanarum; & diuinarũ, Aristoteles est Philosophus, ergo Aristoteles erat cognitor rerum diuinarum, & humanarum, falsa est definitio Philosophi: nihil enim certi habuit Aristotelis de animorum interitu, & de eorum immortalitate, nec de mundi æternitate: Philosophia enim est cognitio rerum humanarum, quatenus humana actio assequi potest.

Vt Contrarium.

VINVM est bonum, ergo aqua mala, nego hoc esse contrarium, nam si essentu contraria, alterum ab altero distraheretur, vt frigus manuũ ab ignis calore pellitur, & hæc sunt contraria

non

non illa, aqua enim, & vinum ſimul eſſe poſſunt.

Vt Simile.

VT dicebat Epicurus homo voluptati opera m det, quoniam & bruta. At hæc nō ſunt ſimilia, homo enim rationis non eſt expers, bruta verò protinus ratione carent, & de his vide latius ſupra in loco à ſimili, quo modo ſimilitudo claudicat.

Vt Diſsimile.

REPREHENDEBATVR Sylla propter crudelitatem, ille verò dicebat, ſe uti ſeueritate, at differunt crudelitas, & ſeueritas, dicebant Romani, crudelitas enim punit innoxios: ſeueritas verò noxios plectit, tu innocentes plectis, ergo hæc tua appellāda eſt crudelitas, non ſeueritas.

À Conſentaneis.

ATTICVS diues, ergo ſuperbus, at doctrina fieri potuit moderatior.

Vt diſſentaneum, id eſt repugnans.

Petrus cruciatur in carcere, ergo improbus eſt, immo uiri boni plerūq; incidūt in calamitatē.

Vt Adiunctum.

QVI amat, ille non uerberat; immo qui parcit baculo odit filium.

Quasi pugnantia.

SI bona est uirginitas, ergo matrimonium malum: imò res ambæ à Deo approbatæ sunt: nã de virgine nasci uoluit, & nuptias præsentia sua honestauit, ergo ambæ res sunt bonæ: sed bonorum aliud alio melius: ita uende omnia quæ habes, & habebis thesaurum in cœlo, ergo qui non uendit non habebit thesaurum in cœlo, ista argumentatio est falsa: nam uenditio, & possessio diuitiarum ambæ sunt bonæ, sed uenditio est melior, nam multi diuites, ut Abraham, & Dauid possederunt diuitias in hoc mundo, & habent thesaurum in cœlo.

Vt Causa.

QVOD mentem corrumpit, est malum: vinum corrumpit, ergo vinum malum est, tu argumẽtaris à non causa: nam qui intemperanter bibit, ille est causa suæ ebrietatis, non autem vinum.

Vt Effectus.

DOCTRINA parit hæreses, ergo mala: respondeo: hoc non prouenit vitio doctrinæ, sed culpa abutentis, sic eloquentia est bona, si bonum nacta fuerit possessorem.

Ut Distributio.

PECCATVR in distributione, vt aut animal est bipes, aut quadrupes, piscis nō est quadrupes, nec bipes, ergo non est animal: respondeo, mā ca est distributio, vt poticui membrum desideratur: integra enim distributio esset huiusmodi, omne animal, aut est bipes, aut quadru pes, aut sine pedibus, piscis est apes, ergo est animal.

Peccatur etiam in distributione in genere hoc modo, verecundia est laudabilis, quia virtus, nego, virtutem esse genus verecundiæ, quæ si esset uirtus, habitus, hoc est quid permanens esset: sed verecundia est rubor citò euanescēs, ergo non est virtus. Peccatur etiam in diuisione in specie, licet vlcisci stuprum concubinæ illatum, quia licet pœnam sumere de stupro matrisfamilias illato: & quod ī una specie licet, in alia licet: nego, concubinam esse speciem vxoris, una est enim vxor, præsertim apud Christianos. Peccatur in distributione in primordiis rerum, & præcurrentibus, idest in antecedentibus, vt Palamedes dicitur misisse litteras ad Priamum, ergo molitur proditionē: at poterat scribere litteras de componēda pace, ergo falsum est illud antecedens.

Vidimus,quo pacto dignoſcere poſſimus,quando diſtributio peccet,nunc uerò,ut generalẽ de hac doctrinam tradamus,plenè, & exactè hanc materiam tractemus initium ſumendo à definitione.

Diuiſio eſt generis in ſpecies diſtractio, ut animalium aliud uolatile, aliud terreſtre,aliud aquatile,nauium alia triremis, alia biremis, alia quadriremis.

Partitio eſt totius in partes ſectio,ut homo conſtat ex anima, & corpore.

Diſtributio accidentis in ſubiecta,ut bonorum aliud eſt animi,aliud corporis, aliud fortunæ.

ribu- ubie- n ac- ntia.

Hominũ alii magni, alii parui. À quãtitate.
Hominum alii boni, alii mali. À qualitate.
Hominum alius pater, alius filius,alius ſeruus,alius liber. À relationes
Hominum alii ſani,alii ægroti. À contrariis.
Hominũ alii cæci, alii uident. À priuantibus.
Animalium alia ingrediuntur,alia ſerpunt,alia natant,alia uolant. Ab actione
Reorum alii cruci affiguntur, alii ſuſpẽduntur, alii obtruncãtur, alii demerguntur. À paſſione.
Florum alii hiberni, alii uerni, alii

æſtiui, alii autumnales. A' tempore

Animalium alia terreſtria, alia maritima, alia aeria. A' loco.

Hominum alii ſedent, alii cubant, alii ſtant. A' ſitu.

Hominum alii palliati, alii togati. Ab habitu.

Omnis calor aut à ſole, aut ab igne. Ex efficientibus.

Bonorum aliud ad utẽdum, aliud ad fruendum pertinet. A' fine.

Litteræ pinguntur, aut Calamo, aut arundine, aut carbone, aut ſtylo. Ab inſtrumento.

Leges diuiſionis ſunt tres: in diuiſione nihil deſit, ut animaliũ aliud bipes, aliud quadrupes: in hac diuiſione deeſt membrum unum, ſiuę pars una, ideſt ſine pedibus.

Item in diuiſione nihil ſuperſit, ut animalium alia uiuunt, alia extincta ſunt: hic ſupereſt aliud membrum, quæ enim extincta ſunt, non ſunt animalia.

Item in diuiſione membra ſint oppoſita, ut hominũ alii ſani, alii ægroti: uel diuerſa, ut colorũ alius cœruleus, alius niger, alius albus, alius croceus: & hæc de diuiſione ſatis dicta ſunto: Nunc ad reliquas falſas argumentationes properemus,

Vt Maiora.

PECCATVR & in hoc, vt non licet Iudici contra leges pronuntiare, ergo nec arbitro: imò arbiter poteſt vel in vno die litem dirimere, etiam ſi non ſeruauerit iuris ſolemnia.

Vt Par.

VNVS paterfamilias ſatis eſt ad familiam regendam, quia & vna vxor. Præceptor nec non & vnus ſatis eſt ad multos erudiendos. Diſpar hoc eſt, quia paterfamilias non poteſt vnus tã multis domeſticis regendis par eſſe.

Vt Minus.

STELLIONATVS rei puniuntur, ergo & fures puniantur, ideſt at ſtellionatus rei aliquando puniuntur.

Collatio naturarum, ideſt artium.

VT ſcit fabrilia, ergo faber eſt, ſcit aſtrologica, ergo aſtrologus, ſic Alcibiades ſcit iuſta, ergo iuſtus eſt: hæc non ſimilia, ſeu collationes: qui enim hoc pacto argumentatur ab inſufficienti enumeratione cauſarum argumẽtatur: nam iuſtitiæ cauſæ ſunt cognitio, & voluntas; qui enim ſcit, & vult iuſta, ille iuſtus eſt, non qui tantum iuſta cognoſcit: ſic de liberalitate,

etiam

etiam ſi quis ſciat, quid cui ſit dandum; niſi tã men voluntas eius propendeat ad liberalitatem, non dicetur liberalis: huc reſpexit Paulus dicens, hilarem datorem diligit Deus, at artifex ſi inuitus imaginem formet, tamen ſcierit rectè formare, ſtatuarius nihilò minus appellabitur.

DE LOCIS PROPRIIS ORATORIS.

EXPLICATIS iam locis communibus, nunc res poſtulat, vt de locis propriis oratoriæ facultatis agamus, qui quidem ſunt vndecim; Honeſtum, vtile, iucundum, poſsibile, facile, neceſſarium, ſuperuacuum, iuſtum, abſurdum, veriſimile, ac tutum.

De Honeſto.

HONESTVM eſt illud, quod per ſe expetitur, etiam ſi nullam inde vtilitatem cõſequamur, vt doctrina, & gloria ſunt honeſta, eas enim appetimus, etiam ſi nullam vel vtilitatem, vel voluptatem ſperemus.

Honeſtum eſt, cuius cauſa efficiens eſt honeſta vt matrimonium eſt honeſtum, cuius auctor fuit Deus, & natura.

Hone-

Honeſtum eſt,cuius finis eſt honeſtus, vt matrimonium,eius enim finis eſt procreatio ſobolis,quæ quidem maximè honeſta eſt.

Honeſtum eſt, cuius contrarium eſt turpe, ut uirtus eſt honeſta, quia uitium quod uirtuti repugnat,turpe eſt.

Honeſtum eſt, cuius effectus eſt honeſtus, ut ſobrietas eſt honeſta,quia caſtitatem parit.

Honeſtum eſt,cuius ſimile eſt honeſtum, ut ſuperare inimicos, & ſuo imperio ſubiicere honeſtum eſt,ſic ſuperare affectus, & rationi ſubiicere honeſtum eſt.

Honeſtum eſt, cuius coniugatum eſt honeſtũ, vt iuſtè uiuere honeſtum eſt, quia iuſtitia eſt honeſta.

Honeſtum eſt,quod fit exemplo bonorum: ut tueri patriam honeſtum eſt: quia multi uiri boni hoc fecerunt.

Honeſtum eſt id,quo leuior res eſt honeſta: ut tueri ciuẽ honeſtum eſt, ergo & tueri patrẽ.

De Vtili.

VTILE eſt,quo utimur ad bonum proſequendũ, uel quod propter aliud expetitur, ut pecunia utilis eſt, ea enim ad alia bona aſſequẽda tanquam inſtrumentum adhibemus.

Vtile eſt, quod naturam ſuſtentat: ut panis, & domus, quibus ad vitam alendam, & ſuſtentandam vtimur.

Vtile eſt, cuius contrarium eſt damnoſum: vt exercitatio utilis eſt, quia otium ualde eſt damnoſum.

Vtile eſt, cuius effectus eſt vtilis, vt exercitatio eſt vtilis: quia parit ſanitatem.

Vtile eſt, cuius finis eſt vtilis, vt labor litterarius eſt vtilis, quia doctrinæ cauſa ſuſcipitur.

Vtile eſt id, quo res leuior eſt vtilis: vt, ſi mercatura eſt vtilis, ergo & doctrina.

Vtile eſt, cuius ſimile eſt vtile, vt, ſi ſanitas, ideſt conſonantia humorum eſt vtilis, & conſonantia chordarum in lyra, ſic & cōcordia ciuium maximè eſt vtilis.

Vtile eſt, cuius coniugatum eſt vtile, vt docere vtile eſt, quia doctrina eſt vtilis.

Vtile eſt, quod de duobus malis leuius eſt, vt, ſi incidas in latrones, leuius malum eſt pecuniæ iacturam facere, quàm uitæ.

Vtile eſt, quod pellit malum, vt medicina eſt vtilis, quia pellit morbum.

Vtile eſt, quod fit exemplo bonorum: vt vtile eſt verſari in litteris: quia Socrates, Plato, & alii Philoſophi nunquã eis operam dediſſent,

nisi

nisi vtilitatem aliquam inde esse percepturos existimassent.

De Iucundo.

Iucundum est, quod vel animũ, uel corpus exhilarat: ut lectio historiarum iucunda est, animũ enim exhilarat: cõdiméta omnia iucũda sunt, ea enim corpus oblectant.

Iucundum est, quod est secundum naturam: ut cibus, somnus, potus famelico, & sitienti, & ei, qui multum euigilauerit.

Iucundum est, quod assuetũ est, vt si quis assuetus fuerit studiis litterarum, hic vitam iucundam ducet in studiis.

Iucundum est adeptio eius rei, cuius cupiditas nobis inest, cupit quis puellam, vel scientiam, sic eam si assequitur, iucunditate magna perfruitur.

Iucundum est, quod est uariũ: ut uarietas ciborum, auctorum, regionum, nam uarietas est mater delectationis.

Iucundum est omne, quod est rarum: nam omne rarum est præclarum, & quæ passim obuia, uilia sunt, ut aqua, & ferrum, non autem aurum, & argentum.

Iucundum est, quod est nouum; ut Ouidius testatur dicens: Est quoque cunctarum nouitas

gratiſſima rerum.

Iucundum eſt laudari, uincere, diſcere, admirationi eſſe.

Iucunda ſunt, quæ nobis ſimilia ſunt, puer puero iucundus eſt, doctus docto, & omne ſimile ſimili delectatur.

Iucunda ſunt, ſua cuique, vt epiſtola ſuo Marte compoſita cuique iucunda eſt.

De Poßibili.

POSSIBILE eſt, quod poteſt fieri, & quod poteſt non fieri; ut iuuenem mori poſſibile eſt: poteſt enim mori, & poteſt non mori.

Poſſibile eſt, cuius inſtrumenta, uel cauſæ efficientes, aut adiuuantes ſunt in noſtra manu: vt an poſsibile tibi ſit diſciplinam comparare, vide, an diſciplinæ cauſæ ſint in te, ut ingenium, libri, doctor, labor, uoluntas, tempus; ſi hæc omnia erunt in te, poſſibile quidem erit tibi diſciplinam aſſequi.

Poſsibile eſt, ad quod natura propenſi ſumus: vt ſciētiam aſſequi, parare ſibi fœlicitatem: nam vnuſquiſque illam appetit.

Poſsibile eſt aliquid, cum loci, & temporis occaſio parata ſit: vt poſsibile fuit Vlyſsi Aiacem interficere, nam temporis, & loci opportunitatem paratam habuit.

Poſsibi-

Poſsibile eſt id, cuius maius eſt poſsibile: vt expugnare vrbem poſsibile eſt, ergo & pagũ.

Poſsibile eſt, cuius contrarium eſt poſsibile: vt poſsibile eſt amare, ergo & odiſſe poſsibile eſt: poſsibile eſt loqui, ergo & tacere.

Poſsibile eſt, cuius ſimile eſt poſsibile, vt poſsibile eſt temperantem eſſe, ergo & iuſtum.

De Facili.

FACILE eſt, qui ſine magno ſumptu, magno labore, & breui temporis ſpacio cõfici poteſt.

Facile eſt id, ad quod cõficiendũ parata ſunt inſtrumenta, materia, locus, tempus, & cauſa efficiens, vt fabricare domum facile, cum omnia ea, quæ ad domum conficiendam pertinent, parata ſint.

Facile eſt, quod citra moleſtiam fit, ergo difficile eſt, quod adiunctam habet moleſtiam, & quod non opportuno tempore fit.

Facile eſt id, quod, nemine impediente, fit.

De Neceſſario.

NECESSARIVM eſt illud, ſine quo liberi, ſaluiq; eſſe non poſſumus, vt mœnia ſunt neceſſaria ciuitati: nam ſine eis ſalua ciuitas eſſe non poſſet: item leges ſunt neceſſariæ.

Neceſſarium eſt, quo carere non poſſumus, vel quo vix carere poſſumus, vt victus, veſtes,

ædes, res familiares, leges, magistratus, labor, & somnus; sine iis enim viuere non possumus, vel vix viuere possumus.

Necessarium est id, quo remoto, turpiter, & misere viueremus; vt coniuges, filii, libertas, pudicitia, honor, patria, religio, doctrina: nam, vxore, & filiis in seruitutem abductis, misere viuimus: item, sublata patria, & doctrina, miseram vitam ducimus.

De Tuto.

Tutum est, quod rem familiarem, & incolumitatem tuetur, atque conseruat, vt arx est tuta.

Tutum est, quod periculum repellit.

De Iusto.

Iustum est, quod suscipitur naturali lege, uel scripta; leges naturales sunt sententiæ, quas natura hominum animis insculpsit, vt neminem lædendum esse, magistratibus esse obtemperandum, parentibus, & præceptoribus inseruiendum.

Leges scriptæ sunt, quarum finis est pœna: quarum uiolatio pœnam affert; sed legum naturalium violatio dedecus parit.

Iustum est, quod consuetudini respondet, ut apud quosdam populos si quis emat fundũ, irrequisito uicino, legem consuetudinis violat,

lat, & ideo iniustus est, qui vero consuetudinem seruat, iustus est.

Iustum est, quod Iudices respondet, ut iustus est Iudex, qui parricidam punit eadem pœna, qua alii Iudices puniendum censuerunt.

Iustum est, quod respondet pacto, vt dabo tibi pecuniam, si nauis ex Asia uenerit.

Iustum est, quod æquitati respondet, ut benigna iuris interpretatio, ut si quis cum ferro noctu deprehendatur, supplicio mulctetur, deprehensus est aliquis cum gladiolo, ergo puniatur, imo benigne interpretanda est lex, quæ non quodlibet ferrum prohibet, sed noxium tantum.

De Absurdo.

ABSVRDVM est, quod cum communi sensu pugnat, aut cum vniuersali experientia, vt anima est mortalis, si quis enim hoc affirmaret, facile refelli potest hoc modo, si anima est mortalis, ergo Deus iniustus est, qui malos in hac uita non punit, nec in futura: consequẽs est absurdum: nemo enim dicere audebit, Deum iniustum esse, ergo & antecedens. Item omnis voluptas est bona, vt dicebat Epicurus, cuius opinio hoc pacto refellitur: si omnis voluptas est bona, ergo adulteria, & stupra, & quæcunque libidines

libidines essent bonæ, consequens est absurdum, ergo & antecedens.

De Verisimili.

VERISIMILE est, quod personis, temporibus, & locis consonat.

Verisimile est, quod cum hominum opinione, cum lege, more, & religione consentit: ut uerisimile est, Clodium insidiatum esse Miloni, à persona, quia audax, & furiosus: item quia ante fundum suum: item uesperi, quo tempore celari potuisset crimen.

De Superuacuo.

SVPERVACVVM est, quod nullā parit honestatem, utilitatem, aut uoluptatem, ut si imperitus eruditum hominem doceat, & sus (quod aiunt) Mineruam.

Superuacuum est, quod cum gestum sit, explicatum, aut absolutum, iterum suscipitur, idq; inutiliter, vt, etsi parata erat mensa, & benè parata, tu tamen ex mensa detrahis mappā, & iterum insternis, non ne tuus labor irritus est, & superuacuus? sic Sinon ille Virgilianus, Sed quid ego hæc? si omnes vno ordine habetis Achiuos? Huc pertinet illud, Noctuas Athenas mitto: Aethiopem dealbas, & aquam mari addis. Cicero: quid ego ad te hæc scribo, cuius

cuius domi nascuntur? Et hi sunt loci proprii, & his contrarii.

Et hi sunt loci proprii, & communes, quos adhibet orator ad aliquid probandum.

Et quia hos locos, de quibus supra vidimus, variis modis adhibet orator, ideo res postulat, vt de multiplici argumentādi modo agamus.

Septem enim sunt species argumentationum Syllogismus, enthymema, inductio, exemplū, dilemma, inuersio, & sorites.

Syllogismus est argumentatio, siue oratio constans ex maiori, & minori propositione, & conclusione, vt

Omnis virtus moderatrix voluptatum corporearum est honesta:

Temperantia est moderatrix voluptatum, &c. ergo temperantia est honesta.

Enthymema est mutilatus Syllogismus, à quo uel maior propositio, uel minor propositio adempta est, ut

Omnis insidiator iure occiditur, ergo Clodius iure occisus est, hic minor propositio desideratur. Item iustitia vnicuiq; suū quod est reddit, ergo est honesta: hic maior propositio desideratur.

Inductio est congeries exemplorum, vt Pisistra-

tus,

tus tyrannus infelicem habuit exitum, sic Phalaris, sic Dionysius, sic Iulius Cæsar; ergo & alii tyranni infeliciter ex hac uita migrabunt.

Exemplum est mutilata inductio, vt non est Hyeme nauigandum, nam Dion hyeme nauigare volens submersus est.

Dilemma est argumentum cornutum vtrinque feriens aduersarios, vt litteræ tibi discendæ sunt: nam si diues es, te ornabunt, si pauper, te alent.

Inuersio est argumentum, quod Græci ἄπορον appellant: pro aduersario facere videtur, quod tamen contra eum inuertitur, & retorquetur: vt, si quis filius dicat, tu me odisti, quia me verberas, imò quia te verbero, non odi: nam qui parcit baculo, odit filium.

Sorites est coaceruatio propositionum, & prædicatio primæ propositionis fit subiectum secundæ propositionis, veruntamen à primo ad vltimum fit connexio, modò tamen propositiones sint necessariæ; vt

Omnis homo est animal.
Omne animal est corpus.
Omne corpus est substantia, ergo
Omnis homo est substantia.

Item, Temperantia est virtus.

Virtus

Virtus eſt habitus.
Habitus eſt qualitas, ergo
Temperantia eſt qualitas: à primo ad vltimũ.
Et hæc de modis argumentandi dicta ſunto.

Et quia orator non tantum aliquid probat; uerum etiã rẽ amplificat(amplificatio enim magnam uim habet ad aliquid perſuadendum.) ideo non immeritò de ſubtili, ac eleganti amplificationum materia agamus.

Amplificare eſt rem amplam facere.

Amplificare eſt rem ita explicare, vt maior appareat.

Amplificatio eſt vehemens argumẽtatio, quæ, propoſita peccati magnitudine, vel atrocitate, iracundiam, vel, explicata incommodi magnitudine, miſericordiam excitat, & cæteras etiam perturbationes mouet.

Species amplificationis ſunt duæ, indignatio, & conquæſtio, indignatio eſt oratio magnum odium, aut iram concitans. Conquæſtio eſt oratio auditorum miſericordiam captans.

Amplificatio eſt pars perorationis, cuius duplex munus eſt, amplificare rem confirmatã, & in ſummã redigere, quæ ſparſim dicta ſunt.

Cauſæ amplificationis ſũt tres, efficiẽs, materia, & finis. Efficiẽs eſt ipſe orator, qui amplificat.

Materia sunt verba,& res:verba multiplicia sūt, grauia scilicet sonātia, superlata, epitheta, coaceruata,& iterata:huiusmodi verborū per singulas species exempla afferamus: uerba grauia sunt, vt, si adhibeamus inflāmare alicuius animum in aliquē, pro alienare, item si dicamus, Turcæ exercent immanem sæuitiam in captiuos, pro duriter tractant.

Verba sonantia sunt, vt quanquam pro etsi, moderatio pro modestia, concertare pro pugnare, optimus pro bono, officiosissimus pro officioso.

Verba superlata sūt, si dicamus diuinū, atq; incredibile genus orationis, pro elegāti genere orōnis: vestra īmortalia bñficia hoc ē magna.

Verba epitheta, vt mens æterna pro deo, Neronianam sæuitiam exercet hic, hoc est crudelitatem exercet.

Coaceruata verba sunt, vt si dicamus, Hunc ex numero hominum eiiciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto, quod incrementum dicitur.

Verba iterata sunt, vt, ego sum ille consul, ego, inquam, sum, qui Rempublicam seruaui.

Res etiā sunt materia amplificationis, quæ sunt peccata,& incōmoda, & de his vide Aristotelem de magno, & paruo.

Finis

Finis amplificationis iracūdia, & misericordia: qui enim amplificat, aut iracundiam, aut misericordiam concitare vult; quomodo autem iracundiam concitemus, vide Arist. lib. 2. Rhetor. de iis, quæ iram mouent: misericordiam mouent mutatio fortunæ, enumeratio malorum præteritorum, consequentium, & præsentium, res turpis, humilis, illiberalis, indigna ætate, genere, pristino honore, prostrata virtus, hypotyposis, insperata, mala inopinata, prosopopeia, inopia, infirmitas, solitudo, & de his latius vide Aristot. lib. 2. Rhetor. de his, quæ misericordiam mouent.

Effectus amplificationis est perturbatio: qui enim amplificat, mouet, ac perturbat animos audientium, & hoc est potissimum instrumētum ad persuadendum.

Huic contraria est extenuatio, quæ sedat iram, dolorem, & cæteras animi perturbationes.

Instrumenta, quibus amplificamus, multiplicia sunt: multis enim modis rem aliquam amplificat orator, primus modus est.

Comparatio, vt si tibi contigisset vomere domi tuæ, præsente vxore, & filiis, hoc turpe fuisset; quanto turpius est, hoc in conspectu populi Romani facere.

Incrementum, vt facinus est obtrectare patri, impium contumelia afficere, sacrilegium uerberare, quid dicam occidere?

Congeries, vt hic è viuorum numero est eiiciẽdus, & extra naturæ humanæ fines exterminãdus, & infra mortuos amandandus.

Intellectio est, cum aliud ex alio percipimus, ut Virgilius, cum magnitudinem Polyphemi describere uellet, eam hoc uersu complectitur; nec dum fluctus latera ardua tinxit: item Cicero cum ostendere uellet, Antonium in illo cõuiuio magnos, & multos uini cyathos exhausisse, hoc pacto demonstrat: tu istis lateribus, istaq; gladiatoria corporis firmitate, tantum vini concoquere nõ potuisti? quod nobis demonstrat, magnã vini copiã fuisse exhaustam.

Amplificamus etiam aliquam rem, sumpto ordine locorum topicorum, & primo.

A' definitione amplificamus, vt uilisne tibi videtur illa testis temporum, lux veritatis, magistra uitæ, nũtia vetustatis? pro historia: item ars illa benedicendi, inueniendi magistra, disponendi scientia, eloquendi mater tam facile negligitur? pro rhetorica: amplificamus etiã à definitione, cum vsurpamus verbum debacchari pro conuitiari, pro errato scelus, pro hor-

hortari inflammare, &c.

A' toto, vt tota ciuitas te expectabat, te senatus, te equester ordo, te plebs deniq; tota expectabat: itē totus Piso madebat, caput, humeri, brachia, corpus, latera, humeri Pisonis distillabāt.

A' consequentibus etiam res aliqua amplificatur, vt magna strages Romanorum facta est apud Cannas, tres anulorum modii ab Annibale collecti, & Carthaginem transmissi sunt, flumenq; sanguine longo dierum spatio horribilem sui speciem præbuit.

Ab adiunctis, vt ciuitas expugnatur, vel euertitur, hoc sic amplificat orator, pueri à matrum vberibus auulsi parietibus illiduntur, templa profanantur, virgines violantur, matronæ in seruitutem abducuntur, nulli hominum generi parcitur.

A' causa aut.
- Efficiente, vt matrimonium est res præclarissima: quid.n.præstātius est, quàm id, quod Deus induxit?
- Materiali, vt hic anulus præclarus est: ex auro enim est conflatus.
- Formali, vt, si velis amplificare præstantiā alicuius formæ, dices, eam Cæsaris imaginem præ se ferre.
- Finali, vt leges præstantissimæ sunt, vt

po-

pote quæ salutem Ciuitatis spectant.

Ab effectis: Cic. in Orat. pro Archia præstantiam litterarum amplificare volens, ab effectis illud facit: hæc studia litterarum, inquit, adolescentiã alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium, ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

A' contrariis, vt pater bellum gerebat, domi filius nuptias comparabat: item alii iuuenes operam dant regibus, alii musis vacant, alii rei militari, & vnus Antonius ociatur.

A' simili, vt valetudo amissa postea recuperata iucundior est, sic patria amissa, & postea recuperata iucundior est, & optabilior.

A' dissimili, vt reliquæ artes non sunt omnium ætatum, temporum, locorum; studia litterarum senes oblectant, pueros instituunt, iuuenes formant, noctu commorantur nobiscum, dieq; peregrinantur.

A' minori, vt equi gestiunt aliis præcurrere, canes cursu alios superare contendunt, solus Catilina nulla gloriæ cupiditate tenetur: item si ructare in conspectu Populi Rom. turpe est, quantò turpius est vomere.

Alium

Alium etiam amplificandi modum circunstantiæ nobis præbent, quæ sunt sex, persona, locus, instrumentum, modus, tempus, & causæ:

A' persona amplificamus, vt turpe est violare virginem, sed turpius est, si à sacerdote violetur. Item quid turpius est, quàm, si magister equitum, & publicum negotium gerens in conspectu Populi Rom. vomat.

A' loco, vt turpe est vomere per se, sed turpius est in cœtu Pop. Rom. & pro tribunali sedentem.

Ab instrumento, vt trunca manus pinum regit, & vestigia firmat; quibus verbis Polyphemi magnitudo exprimitur.

A' modo, vt clam occidisti, ne se defendere posset: turpe enim est per se, sed turpius clam occidere.

A' tempore, vt in maxima rei frumentariæ inopia frumentum inuexit Cato: quibus verbis magnum Catonis beneficium amplificatur. Itē occidisti iuuenē in primo flore iuuentæ.

A' causis, aut
- Impellentibus, vt nulla causa impulsus eum occidisti.
- Finalibus occidisti, vt ex eius morte aliquid vtilitatis, aut voluptatis perciperes.

Errata sic corrigito.

Pag. 4	cædant	cedant
5	ipſe	ipſæ
8	Pyrrih	Pyrrhi
11	querebant	quærebant
11	Ceſaris	Cæſaris
13	partiepii	participii
16	virginiatem	virginitatem
28	cutione	locutione
33	corpus ad humanum	corpus humanum.
38	culpam	culpa
38	cum finalis	cauſæ finalis
39	amterialibus	materialibus
41	Ptoemeum	Ptolemæum
44	ſecernantur	ſecernatur
48	deſiiuntur	definiuntur
48	dimidia	dimidio
52	fecicisti	fecisti
53	pomum : pomum	fumum : fumum
55	operam non det	operam det
57	callidum	calidum
59	elemenris	clementis
65	veneratione	venatione
67	multiplicè	multiplicem.
68	ferri	fori
69	relictus	relicturus ?
70	ad aliqui	ad aliquid
71	eſſentu	eſſent
74	vt poticui	vt pote cui
75	à relaticnes	à relatione
77	puniantur ideſt at	puniantur : at
83	facile eſt, qui	eſt quod
88	iuuertitur	inuertitur.

Cętera Lector æquus per ſe corrigat.

